

Nicolai Reusneri J.C. Icones, sive Imagines virorum literis illustrium. 8. Argentorati 1590. in praefat. 159

Perrarum esse hunc librum, cujus nova editio 1719 francofurti typis Balth. Diehlii in 8. prodiit, docent Cl. Eberh. Dav. Hauberus in Biblioth. Magica p. 797. Stollius in Biblioth. T. I. p. 541 sqq. autores Nov. antiquor. Theologicor. A. 1739. p. 424. sqq. Continet Centum imagines virorum literis ingeniique monumentis illustrium a Bernhardo Jobino Typographo Argentinensis collectas, in quibus ad vivum delineandas impensius pictore usus fuit Tobia Stimmero inter primos suae aetatis summo atque perfectissimo. Singulis iconibus singula apposuit Disticha Nicolaus Reusnerus, quibus deinde junxit eorum vitae et operum descriptiones breves partim ex ipsorum monumentis, partim ex aliorum scriptis Jovii praesertim, Bezae breviter et summatim compositas. Denique addidit etiam aliorum clarorum virorum elogia de iisdem. Conjungi debet cum hoc libro aliud Reusneri Opus, satis etiam infrequens, cui titulus: Icones, sive Imagines vivae literis Cl. virorum Italiae, ~~Graeciae~~ Graeciae, Germaniae, Galliae, Angliae, Ungariae. Ex typis Waldkirchianis in lucem productae, cum elogiis variis per Nicolaum Reusnerum. Basileae. 1589. in 8. Continet Icones XCI. partim ex Musaeo Joviano depromtas, partim aliunde acquisitas. Utrum autem imagines quae ad vivum dicuntur expressae, exhibeant vultus lineas eorum quorum nomina sistentur, aliis dijudicandum relinquimus.

ICONES
sive
IMAGINES VIRORUM LITERIS ILLUSTRIUM,

QUORUM FIDE ET DOCTRINA RELIGIONIS ET BONARUM literarum studia, nostrâ patrumque memoriâ, in Germaniâ præsertim, in integrum sunt restituta.

ADDITIS EORUNDEM ELOGIIS diversorum auctorum.

Ex Secunda recognitione
NICOLAI REUSNERI IC.



CURANTE BERNHARDO IOBINO.
Privigelio Cæsareo.
ARGENTORATI. CIƆ IƆ XC.



RARA FIDES AVIS EST: *fraus regnat vbique, dolusq;*:
FIDO DEO: *sic fraus nulla, dolusq; nocet.*

* *

FRIEDERICVS SECVNDVS
ἀναγραμματικῶς.

SINCERVS, Friderice, FIDE, Rex inclyte, DVRES;
FIDVS Musarum CVRIS, RE cœpta RECVNDES.

N. R. L.

AD SERENISSIMVM POTENTISSIMVMQVE PRINCIPEM AC DOMINVM, D. FRIDERICVM II. REGEM Daniæ, Nortvegiæ, Vandaliç, & Gotthiæ, Ducem Slesvigi, Holsatiæ, Starmariæ, & Dietmarsiæ, Comitem Oldenburgi & Delmenhorstæ &c. Principem Opt. & Max.

NICOLAI REVSNERI Iurecos. Præfatio.

MAGNA EST VT SAPIENTIAE, ita virtutis dignitas, magnaque pulcritudo, FRIDERICE, Rex Serenissime & Potentissime: eaque profectò tanta, ut si oculis formam eius, & tanquam faciem cernere nobis liceret, mirabiles sui amores in animis nostris excitatura esset. Nam & propter hanc solam non rarò eos, quos nunquam vidimus, vehementer & admiramur, & colimus: adeoque tanta eius vis est, ut ea etiam in hoste posita nescio quomodo delectet; & quasi pleno ore laudetur. Quanquam verò oculorũ sensus in homine acerrimus est: multò is tamen est obscurior, & hebetior: quàm ut species & pulcritudo illa virtutis ac sapientiæ rectè à quoquam cerni, nedum planè perspici queat: eoque non tam corporis, quàm animi ipsius acies, intendenda est maximè: quæ sola lumen eius, atque splendorem cernit atque suspicit: eosque admiratur in primis, ac colit; quos cæteris anteire virtute & sapientiâ iudicat. Enim verò refert plurimum, si minùs perfectam undique & absolutam, at leviter duntaxat adumbratam formã,

ceu effigiem ſapientię & virtutis, oculis quoquo modo intuendam contemplandamque proponere: bonorum & ſapientium virorum exemplis ac ſimulacris propoſitis: quâ & ipsâ animos virorum bonorũ honeſto quodam gaudio compleri conſentaneum eſt. Quam ſanè ad rem perficiendam, ut aliqua ſaltẽ eius ſpecies oculis hominum exhibeatur, duo potiſſimum adminicula natura, vel ars ipſa potiùs, conceſſiſſe videtur: ſcripturam nimirum, & picturam: quarum illa aures, hæc oculos hominum mirabiliter afficit: ut benè de Rep. meritos viros, quamvis mortuos, ſcripturæ beneficio, quaſi nobiscum adhuc loquentes audire: & imagines eorum contemplando, picturæ ope, tanquam præſentes & vivos intueri & amplecti perpetuò nobis liceat. Quâ vtrâque re animos cumprimis excitari, & ſtudio quodam incendi credibile eſt: non ſolùm in audiendo legendoque, ſi quid piè recteque & ſapienter ab his factum ſit: verùm etiam in eorum, qui cum laude vixerunt, expreſſos vultûs intuendo: à quibus tacitè quodammodò ad ſimilem virtutis & ſapientiæ laudem eos incitari, & ad facinora præclara impelli, res ipſa teſtatur. Itaque apud omnes populos paſsim uſu receptũ fuiſſe videmus: ut eorum virtus perſpecta foret in rebus honeſtis atque magnis, & qui benè de Repub. meriti, aut honore aliquo & imperio affecti eſſent, non modò laudes & vitæ, ſed ſtatuæ quoque & imagines publicè exſtarent, & ad poſteritatem conſervarentur: & hoc pacto eorũ virtus & ſapientia, quaſi in theatro & lumine publico, omnibus civibus intu-

enda

enda contemplandaque proponeretur: quorum exemplo præclaro incitati alij, eam quoque magni facere ac colere in omni vitâ: & præclaram nominis sui memoriam, rebus præclarè gestis, cum omni posteritate adæquare studerent. Neq; verò necesse est, multa hoc loco ex veterum monumentis eiuscemodi colligere: quæ in hoc genere doctrinæ iam olim publicata, & in medio sunt proposita: satis nobis esse poterit Musæum illud Iovianum, tot & tantorum heroum, non literis solum & doctrinâ, sed & bellicâ laude illustrium: neque solùm vivis verisque imaginibus, verùm etiam elogiis vtrâque orationis formâ exquisitè conscriptis, ita præclarè instructum atque exornatum: ut nihil in hoc genere exstet perfectius, atque absolutius. Cum quo non immeritò comparatur, & quod ad patriæ dignitatem attinet, longè etiam maiorẽ meretur laudem, opus illud Iconum Theodori Bezæ, ante paucos annos in lucem editũ: in quo & ipso, præter Elogia elegantissima, conspiciuntur eiusdem generis Icones & effigies virorum doctrinâ simul & pietate illustrium: Germaniæ præsertim nostræ, & Galliæ & Angliæ: quorum præcipuè ministerio partim bonarum literarum studia restituta, partim vera religio in varijs orbis Christiani regionibus, nostrâ patrumque memoriâ fuit instaurata. Cæterùm utrique huic operi sanè elegantissimo, atque pulcerrimo, quàm proximè accedere videtur, præsens istud opus Typicum: proximis his annis à Bernardo Iobino, cive & Typographo Argentinense, magno studio, pari arte, nec minore sumptu

adornatum: vndique conquisitis virorum literis ingenijque monumentis illustrium: præsertim Germaniæ nostræ, veris & ad vivum expressis imaginibus: in quo delineando inprimis pictore usus fuit Thobiâ Stimmero, inter primos suæ ætatis summo, atque perfectissimo: sicut præclara eius simulacra et opera in medio relicta, abundè contestantur. Quod sanè opus, quò perfectius atque absolutius in publicum prodiret: spirantes hasce mortuorum hominum effigies, sed per se tamen adhuc mutas, per me quasi animari, & meâ potissimum voce loquaces eas reddi voluit: ut non modò eas intueri, sed & cum his nonnunquam consistere ac colloqui: & quoties luberet, in consultationem quodammodò venire liceret ijs: quibus animum ab istâ quasi picturâ imaginibusque sapientiæ ac virtutis, ad rem veritatemque traducere collibitum est. Feci igitur, non quod debui, sed quod potui, in mole præsertim istâ occupationum infinitarum: (neque enim deesse hominis, benè de Repub. literariâ sentientis ac merẽtis, æquę honestæque postulationi omninò volui) ac primò quidem singulis Iconibus singula apposui disticha: his deinde opposui eorundem vitæ & operæ descriptiones breves quidem, sed illustres: partim ex ipsorum monimentis, partim aliorum scriptis, Iovij præsertim & Bezæ, breviter & summatim compositas: tum etiam aliorum clarorum virorum subiunxi Elogia elegantissimè de ijsdem scripta: tanquam symbola quædam communis operæ atque industriæ: quibus opus hoc totum redderetur ornatius, atque locu-

locupletius. Iam verò quum opus hoc à se publicatum, in quo conficiendo sumptus fecisset Librarius infinitos, non sine Titulo ac Tutelari quasi Deo, more maiorũ, ritè ac solenniter à me commendari cuperet: circumspicienti mihi undique, quem præcipuè huic operi patronum allegerem, Regia Maiestas Tua in mentem venit cumprimis: cui Musæum hoc nostrum, tanquam augustum Virtutis & doctrinæ templum, publicè dedicarem & quasi consecrarem: non modò adductus summâ illâ & maximâ auctoritate eius & potentiâ: in quâ ut bonarum literarum, ita veræ religionis, secundum Deum, hoc præsertim afflicto rerum omnium statu, propemodum omnis (ut Poëtæ verbis utar)

Spes inclinata recumbit:

Sed in primis magnificentia illa tua & clementia verè regia, & augusta: multis hactenus documentis præclaris abundè declarata, non solùm erga religionis Orthodoxæ, verùm etiam bonarum literarum studia: quæ tanta animi heroici vi & contentione amplecti ea videtur: ut veterum illorum Regum ac maiorum suorum clarissimorum, & in his maximè CHRISTIANI. I. proavi, FRIDERICI. I. avi, CHRISTIANI II. patris, immortalem gloriam tot & tantarum rerum in imperio præclarè gestarum, non modò assequatur facilè adhuc maturâ ætate: verùm etiam singularis pietatis famâ, & doctrinæ sapientiæq; laude, ac studio longè superet: ut dubitare nefas sit, op⁹ istud Regiæ Maiestati Tuę si minùs suo nomine, at tot doctrinâ & pietate præstantis-

ſimorum virorum commendatione, eò gratius acceptiusque futurum. Quæ ſi minùs fortaſsis, ut credibile eſt, nos fruſtratur ſpes atque expectatio: equidem opera à nobis ſedulò dabitur ac diligenter: ut non hoc opus tantum multis deinde partibus exeat ſubinde auctum magis, ac collocupletatum: ſed ut eorundem quoque vitæ maiori paulò pòſt exſtent opere (quod πολυάνδριον inſcribere placuit) integrè abſoluteq́ue deſcriptæ: tum verò etiam, patrocinio & operæ huius benigno aliquo ac neceſſario ſubſidio fortaſsis impetrato, vtrâque formâ iam pridem adornatum in publicum ſimiliter prodeat opus alterum Heroicum, continens Icones & Elogia ſummorum & maximorum Imperatorum, Regum, Principum, aliorum præterea bellicâ præſertim laude illuſtrium virorum: qui rerum fortiter geſtarū gloriâ inſignes, præclara ingentium facinorum exempla imitanda, aut etiam vitanda, poſteris tradiderunt. Accipe igitur, Rex Sereniſsime, & ſereno, ut ſoles, animo accipe munus hoc qualecunque literarium: pertenue illud quidem & levidenſe, ſi ex perſonâ noſtrâ æſtimetur: ſed pulcerrimorum exemplorum plenum: quod ſi minùs fortaſsis tantâ dignitate & Maieſtate Regia dignum putabitur: ea tamen omnium maximè digna à nobis meritò judicatur: cuius ex numine plurimum ei lucis & ſplendoris accedat. Argentorati Calendis Aprilis, anno Salutis Chriſtianæ CIↃ.IↃ.

XIIIC.

IMAGO NICOLAI REVSNERI IVRISC.
Consiliarij Saxonici.



Effigies homo parva tua est, DEVS: effigiem fac
Me quoque, dum vivo, semper habere tuam.

)(5

IN EFFIGIEM NICOLAI REVSNERI IC.

Stirps Iovis & Phœbi ſoboles Epidaurius heros
Nymphâ ſatus Coronide:
Artis ope Hippolyti manes revocaſſe ſepultos,
Et Androgæum dicitur.
Hinc Deus eſt habitus: divũ quoq; nactus honores,
Sacrâ colendus infulâ.
Tu reduces nobis præſtas REVSNERE ſepultas
Imagines illuſtrium:
Oraq́; magnorum heroum de morte reducta
Spectanda vivis exhibes,
Eulogijs celebrata tuis, & laude perenni,
Quos eripis de funere.
Ergo ſuo auctori debet Germania magna,
Coronidæ quod Attici:
Atque duces inter medios ſpectaberis ipſe,
Colendus hac imagine,
Torquatos inter proceres Antiſtes & ipſe,
Et Anteceſſor inclytus
Iuris Cæſarei, & lauro Daphneide vates,
Apollinis ſacrâ infulâ.

IN EANDEM.

Mortalis cùm ſis, mortales inter & ipſos
Famam immortalem poſt pia fata feres.
Tam benè de vivis, & de mortalibus ipſe
Es meritus: dignus vivere perpetuò.

Te tua scripta mori prohibent: te vivere censent
Diva Themis, Clarij & numina sacra Chori.

In Eandem.

Multa tibi debent heroës: plurima docti:
Eulogijs vivunt post sua fata tuis.

Christophorus VVinerus.

IN LIBROS EICONVM NObilissimi clarissimique viri D. NICOLAI REVSNERI Iureconsulti, & Consil. Saxonici.

EPIGRAMMATA:

Iani Iacobi Boisardi.

Splendidius nihil est famâ, virtute paratâ,
Aut bello, aut culti dotibus ingenij.
Cui qui contulerit fortunæ dona faventis,
Et quas illa solet tradere divitias:
Vilia componet caris, firmisq; caduca:
Et solidi vmbra illi corporis instar erit.
Nec bona sunt vocitanda, quibus Sors imperat: aut quæ
Sunt dubia, aut tantùm nomen inane gerunt:
Quæq; suo intereunt cum possessore: nec illi
Adverso veniunt tempore in auxilium.
Sola suo virtus pro sectatore laborat:
Obscuræ Lethes flumina ne subeat.

Marmorei ereptum gravidâ de mole ſepulcri
Inter honoratos collocat indigetes.
Mortales tantùm exuvias tellure recondit:
Nomen at inſigni poſteritate beat:
Vtens ſcriptorum calamis: qui pondera rebus
Reddere divino ſunt ſoliti eloquio.
Inter quos primas delegat hæc tibi partes
REVSNERE: & factum dia Minerva probat.
Addit ſe ſocium Phœbus, facilesq́ Camœnæ,
Peithoq́, & terno numine firma Charis.
His ducibus nullos poſthâc moriture per annos
Aeternum ſcriptis aggredieris opus:
Aoniæ immortale decus REVSNERE cohortis:
Hæc debebantur munia nempe tibi:
Vt noſtri caneres illuſtria nomina ſecli:
Spiranti ſignans vivida ſigna typo:
Elogijs quæ cuncta ornas, & honore decoro:
Sic facis, ut tota hæc non Libitina ferat.
Defunctis vitam reddis: vitaq; fruentes
Egregiâ prohibes ſedulitate mori.
Sic tibi conſultum eſt, alijs dum proſpicis: eſtq́
Communis quæ te gloria nobilitet.
Dum famam ſolers alienam condis, eâdem
Tuq́ tuum tollis nomen ad aſtra tubâ.
Te ſimul & præſens, & poſtera noverit ætas:
Et tibi erit pulcrâ laude perennis honos.

NICOLAI CLEMENTIS TRE-
læi IC. & EQV. Moſellani.

Te CYMBALVM MVNDI vocans, rectè vocat
REVSNERE. cur? forſan rogas?

Tot clarus ipſe libris in publicum editis,
Ceu Didymus Chalcenterus:
Contentus haud famæ tuæ iam gloriâ,
Totum per orbem quæ ſonat,
Tot Marte claros, & tot arte principes
Honore honeſtas proprio:
Perenne quîs communicas famæ decus
Tam liberaliter tuæ.
Sit Appion Grammaticus MVNDI CYMBALVM:
Suo Tiberio Cæſari:
Aut publicæ FAMAE magis ſit TYMPANVM;
Sic Plinio placet meo:
Tu famæ honeſtæ ſis dator nobis bonus
REVSNERE, MVNDI CYMBALVM.

CHRISTOPHORI VVINERI

Exciderant oculis: animo ſimulacra latebant:
Corpora ſub tumulis dormierantq́ue ſuis.
Lumine tu caſſas facies in imagine vivâ
Surripis è tumulo, reſtituisq́ue viris.
Et faculâ accensâ velut è cœleſtibus igne
Allato in vivas efficis effigies,
Ergo alter tu Deucalion cum coniuge Pyrrha,
Gentis & Almannæ Iovius alter eris.

GEORGII CALAMINI.

Quò penetrent hominum mentes, rationis & illa
Quò vſque ſe tollat vigor?
Si neſcis, agè perluſtres ſub imagine noſtræ
Hæc ſumma gentis lumina.
Non homines, credo, ſtatues: ſed numina dices:
Si perlegas emblemata.


REVSNERVS dat ijs reducem post funera vitam;
Aeternat & superstites:
Imperatores, Regesq́, Ducesq́ perennes
Vt antè fecit carmine.
Dum cavet ergo libris, alios oblivia vastò
Ingrata ne claudant specu:
Ipsemet evincit Lachesin REVSNERVS: & orbi
Se sempiternum consecrat:
Verùm heus si memori quis fortè videbitur ævo
Indignus inter tot bonos:
Si potes, urticam prohibe: nascatur odoræ
Posthâc rosæ ne proxima.

HIERONYMI REVSNERI
Anagrammatismus.

NICOLAVS.

LAVS ICON.

Plurima LAVS, ICON hominum quo plurima fulget,
Quos cœlo pietas, arsq́, fidesq́ locant.
Aureolus liber iste tuus, NICOLAE, perennis
ICON sit meritò LAVdis in orbe tuæ.
Laudis ut omne tuæ cesset decus, omne per ævum
ICON & LAVS hæc non peritura manet.



AD NOBILEM ET CLARISSIMVM VIRVM: DN. NICOLAVM REVSNERVM, I.C. & P.C. de opere Iconum,

ODE

HIERONYMI TREVTLERI SILESII


REVSNERE mystes Pieridum sacer:
Idemque mystes ter Themidos sacræ:
Et quicquid est excultioris
Teutonis in grege disciplinæ:
Quæ digna seris cura nepotibus,
Tentanda nostrûm forsitan haud cui,
Perfecta nulli vel priorum,
Sollicitâ tibi mente pendet?
Nec nomen ævo, perpetuantibus
Pulchrè laborum spem cumulis suam,
Vt subsequis cedunt priores,
Sufficit antè superstitasse:
Ni mira virtus, dignam aliis quoque
Edocta laudem cedere, laudibus
Intenta doctis, haud minores
Accumulet sibi laude laudes.
Sic sospitator nomina tot virûm
Et sospitas, & laude vehis sua:
Doctrina quos multum celebres
Reddidit, ambrosiæq; mortem

Non sentientis pauit adoreâ.
Quid nunc moraris? pergito perſequi,
Et Soſpitatricis dearum
Munere nobiliore fungi.
Sic ſera condent ſecula ſoſpitem
Cuiusque, vitâ perpete, gloriam:
Et tu ſimul, REVSNERE, verus
Indigitabere Soſpitator.
Mordacium ſed vim metuis canum?
Hoc creſcit ipſo gloria fomite.
Aut Zoilorum pertimeſcis
Iudicio variante dentes?
Latratus ipſos prodet, & intimi
Perſona vultus pectoris eruet
Detecta. Nec quisquam bonorum
Huic poterit malè velle cœpto.
Quin & futurum eſt, ut potius iuvent
Finem labori propoſitum ſacro,
Deſiderata impertientes,
Vt merito ſua cuique pars ſtet.
Ergò ſub auras i. Liber: ut boni
Primo rubentem ſi videant viri
Partu, fideles obſtetricum
Non pigeat tibi ferre dextras.
Tu ſoſpitator IOVA, operas pij
Auctoris omni tempore ſoſpita,
REVSNERE quid me Soſpitator
Vlterius cupias precari?

ARGENTINAE IIX. *Eid. Ian.*
CIↃ. IↃ. XIIIC.

I

CL. PTOLOMAEVS ALEXANDRINUS Mathematicus.



Per me Doctrinæ totum diuina Mathesis
Corpus habet: cuius glorior esse parens.

CLAVDIVS PTOLEMAEVS natione Aegyptius.

Sub MARCO ANTONINO Imp. Romano.

Liberalium artium ac Græcarum literarum ſtudijs Alexandriȩ clarus:

Qui primus apud Grȩcos cœli rationem diligentiùs explicuit:

Inuenta ab Hipparcho inſtrumenta clariùs demonſtrauit:


De Muſica & rebus alijs, tùm de Geographia abſolutiſſimè ſcripſit:

Princeps doctrinæ Mathematicȩ:

In Aſtrologiȩ prȩſertim ſcientia nulli ſecundus:

Monimentis ingenij & doctrinȩ relictis penè diuinis mortuus etiamnum inter mortales viuit:

Aeternâ gloriȩ laude victurus perpetuò.



IN CL. PTOLEMAEVM Epigrammata.

BRVNONIS SEIDELII.

Me cœli ſummo ſtudiorum jure parentem
Dicas: nota mihi tota Matheſis erat.
Collegi, quod in his docuerunt artibus omnes:
Ac ſunt ingenio multa reperta meo.
Conſcripſi totum doctrinæ corpus: ut inde,
Qui veros fontes optat habere, petat.

HIERON. TREVTLERI.


Aſpice, quiſquis aues Ptolomeæi noſcere vultus:
Cuius Atlantiacus viuit in orbe labor.
Magna viri, fateor, cognoſcere ſcripta voluptas:
Iuncta tamen facies maius an inſtar habet?

VALENT. THILONIS.

Corpore geſtat Atlas cœlum, cœlum Herculis auſus
Suſtinet, ac lato corpore portat onus.
Pectore ſurgit humo, cœliq; euadit in arces
Claudius, & plenâ ſidera mente capit.
Corpore magnus honos ſurgit, ſed gloria maior
Pectore, quò pectus corpore maius erit.

4

ALBERTVS MAGNVS EPIscopus Ratisponensis.



Magnus eram Sophiæ doctor, Præsulq́; sacrorum:
Abdita naturæ vis mihi nota liquet.

M. CCCXXCII.

5

ALBERTVS MAGNVS BOLSTADIUS, ex ordine Equestri clarissimis natus parentibus Lavingæ, Anno salutis. M.CCXCIII.

Summo ingenio, summa præditus eruditione, adeoque omnium doctrinarum summè studiosus:
PHILOSOPHIAE & Theologiæ Doctor Maximus:
PROFESSOR Academiæ Parisiensis & Coloniensis celeberrimus:
Solertiss. naturæ speculator, rerumque obscurarum indagator atque explicator planè admirabilis:
PRAESVL tandem & Episcopus creatus Ratisponensis:
Qni suâ ætate omnes ingenio, doctrinâ, eloquentiâ superauit:
Literis denique, & studijs immortuus Coloniæ Agrippinæ,
Quò vltrò abdicato Episcopatu ad ocium literarium rursus extremâ senectâ concesserat:
Obijt Anno M.CCCXXCII. Aetatis LXXXVII.

ETEOSTICHON.
Ios. à Pinu.

Alberte es fato properanti Magne solutus:
Tangis ubi ætatis lustra bis octo tuæ.

IN ALBERTVM MAGNVM Episc. Ratisponensem.

EPIGRMMATA.

N. R. L.

Sub imagine eius, Lavingæ in foro.

Albertus Magnus ciuis clarißimus olim
Laugingæ, Doctor magnus, Præsulq; sacrorum
Inclytus, omnigenæ scriptor celeberrimus artis,
Sic oculos, sic ora senex, vultumq; gerebat.

Sub imagine Equi portentosæ magnitudinis, ad latus ibidem.

Tantæ molis equus, velox & saltibus aptus,
Prælongus ter quinque pedes, & corpore magnus,
Nascitur Alberti Laugingæ sub lare Magni.
Anno M.CCCLX.

PETRI BEMBI.

Naturæ si quid te rerum fortè latebat:
Hoc legis in magno Teutone Magne Deo.

IANI VITALIS.

Natura has violas, Ratio hæc tibi lilia paßim
Ad tumulum spargunt, Teutone Magne, tuum:
Purpureis quarum tribulos avellis ab hortis:
Et pulcris violis lilia mista seris:
Aviaq; abstrusâ pandis penetralia causâ:
Verè igitur Magni nomine dignus eras.

FERDINANDI PALAMII.

Magna parens, altrixq; virûm Germania, alumni
Incedis meritò laude superba tui.
Naturæ ac rerum vires, causasq; latentes
Hoc nemo nobis doctiùs explicuit.

Magnus ob egregias fœcundi pectoris artes
Dictus es: at Christi nunc ope maior eris.

M. ANTONII FLAMINII.

Qui docuit rerum Albertus cognoscere causas.
Non rerum oblitus iam iacet in tumulo.
Sed cœlo meliore sui cum parte receptus,
Nunc gaudet meliùs discere, quàm docuit.

IOANNIS LATOMI.

Quantum erat, hoc quondam cognomen Magne tulisse:
Quum solidè doctus nullus in orbe foret?
Esto: vetustatis factum laudatq́ꝫ, probatq́ꝫ:
Et tibi posteritas sancit habetq́ꝫ ratum.

HENRICI BEBELLII.

Cedite Philosophi, quos Græcia iactat alumnos,
Extulit & si quos Itala terra suos.
Quos longè Albertus vicit tam nomine claro,
Gloria Sueuorum Teutoniciq́ꝫ soli.
Par decus ingenij: nec fas sperare nepotes:
Hic nouit, quicquid tota Sophia docet.


HIERONYMI TREVTLERI.

Magnus eras, quanquam te barbara secla tulerunt:
Attamen ingenio diuite magnus eras.
Celsa nec est varias famam quæsisse per artes:
Pluribus hoc vitij quandò cucullapa rit.

S

IOANNES HVSSVS BOEMVS,

Academiæ Pragenſis Theologus.



Igne cremor: mens igne Dei pia flagrat: at igne
Corpus deflagrat, perfide Papa, tuo.

M. CCCCXV.

Hussus ego vir alos: cerni sacra scripta Tonantis.
Sacrilegos ventres, Pontificumque dolos.
Constantem inconstans dum me Constantia tollit,
Offeror Ausonio victima Pontifici.
Rhenus habet cineres, animum tu Christe. Quid ultra?
Boni patriam, mortuus ob patriam.
Irriguos Rheni fluxus colo. perpete fama
Albiacis resonans innato fluminibus.

Joannis Rosini Zatecensis.

Vitam constanti Constantia sustulit Husso.
Reliquiis usti Rhenus ubique viget.

9

IOANNES HVSSVS BOEMVS
Natus in Pago cognom. Husseniz.

Præceptore inter alios vsus Theologo Ioanne Vviclefo Anglo, Primo Christianismi Reformatore:
Pragæ Creatus Baccalaureus Artium lib. Anno M.CCC.XCIII.
Magister Philosophiæ. A. M. CCCXCV.
Sacerdos electus & concionator templi Bethlehemici M. CCCC.
Decanus Academiæ, M. CCCCI:
Rector eiusdem, A. M. CCCCIX:
Dum magno studio & zelo regnum Christi cœleste contra Tyrannidem Pontificiam propugnare ac propagare studet:
Romæ primùm à Pont. Max. excommunicatus, Anno M. CCCCXIIII.
Post varia certamina & pericula:
Crematus dein viuus, violatâ fide publicâ, ex pseudosynodi decreto.
Obijt Martyr Christi sanctiss. Constantiæ M. CCCC. XV. VI. Iulij.

Eteostichon.
Ios. à Pinu.

Bis quarta illuxit mensis Quintilis, ut Hussus
Constanti constans ustus in urbe perit.

IN EFFIGIEM IO. HVSSI.
MARTINI LVTHERI.

Effigiem cernis quondam venerabilis HVSSI:
Dum ſua pro Chriſto membra cremanda dedit.

ANONYMI.

Albicolas niueo vincens candore volucres,
Salue Boiemis ANSER amande tuis.
Te manet æternum decus & memorabile nomen:
Quod furor, aut ætas tollere nulla poteſt.
Atra licet cornix furtiuis abdita pennis,
Candorem ſpurco vellicet ore tuum.
Nulla ſed eſt Bœmis, nec erit præſtantior ales,
Conferri viuâ quæ tibi voce queat.
Grex auium vanis oblectat cantibus aures:
Tu mentes niueo pectore & ore pias.

ALIVD.

Huſsiticæ gentis parens,
Quæ dogma protulit meum.
CONSTANTIAE cœtus patrum
Flammis creandum cenſuit.
Fœcundus at cinis mea
Sectæ aſſeclam ſobolem dedit.

HIERO. TREVTLERI.

Anſer eras, & te Pietas Romana cremabat:
Quòd minùs obſtreperus Pontifici anſer eras.
At tua vindicias habuerunt fata: repertus
Nempe fuit, quem vox ſumma canebat, olor.

IN EIVSDEM MARTYRIVM.
MART. LVTHERI.

Ille renaſcentis verbi ſine labe fidelis
Præco, bonus vitâ, dogmatibusq; bonus:

HVSSIVS æterni ſeruus ſincerus IESV:
Nomine paſtoris dignus Apoſtolici:
Præceptor. Pragæ generati, Hieronymi: & idem
Docto VVICLEFI de grege diſcipulus:
A Conſtantiaca Synodo combuſtus, Olympum
Mente adijt: cineres oſſaq́ Rhenus habet.
Chriſte Boëmorum genti concede: perenni
Vt ſtudio cantus ANSERIS huius amet.

N. REVSNERI.

Si taceant homines, Chriſtum fera bruta ſonabunt.
Exemplo res hæc certa ſit HVSSE tuo.
Cœlitus ut clangis, tot olores peruigil ANSER:
Ipſe cies, Chriſti qui ſacra verba ſonant.
Perſonat hinc omnis cœleſti terra canore:
Et ſancta colitur cum pietate fides.
Anſer Tarpeij cuſtos Iouæ inclytus olim:
Tu Capitolini victor es ipſe Iouis:
Sis pius ut cuſtos Iouæ, martyrq́ ſupremi:
Perfidus hinc hoſtis te necat igne fero.
Mira fides! novus en morientis ab igne renatus
Clangit olor: vim cui poſſe nocere negas.

VERITAS INVICTA.

IOANNIS LAVTERBACHII.

Sepulta pulcrior reſurgit veritas.

Aſſertor pie veritatis Huſſe
Inuictæ, decus eſt tuum perenne.
Veritas tenebris ſepulta denſis,
Quas induxerat hoſtis Antichriſtus:


Per te quòd tenebris reducta densis,
Vitales hilaris petiuit auras,
In lucis rediјt ſalubris auras:
Aeternum decus orbe comparaſti:
Aeternum decus axe comparaſti.
Forti pectore fortis Antichriſtum,
In Chriſti poſitum loco ſalutis,
Chriſto qui rapuit ſuos honores,
Nudaſti, metuens nihil furorem,
Flammas, probra, cruces, aquas, tumultus.
Forti pectore fortis Antichriſti,
Oppreſſus furijs rogum ſubiſti,
Oppreſſus furijs necem tuliſti,
Defendens pius ore veritatem.
Veritas premitur venuſta mundo,
Non tota opprimitur: ſuo reſurgit
Formâ tempore pulcrior ſub auras.

ADAMI FRANCISCI.

Quum Latias Huſsi diuino gutture fraudes
Arguit, & tumidi regna proterua Papæ:
Emicuit radijs Aurora optata coruſcis:
Lumine ſignauit Sol propiore diem.
Non tamen effulſit perfectæ gloria lucis,
Nocte ſimul triſtes obijciente moras.
Reddidit ipſe Deus veracia dogmata tandem
Eloquio & ſcriptis, magne Luthere, tuis.
Per quem Cimmerijs latitantia monſtra tenebris,
Et furias animis depulit ipſe, pijs.
Per quem Pontificum gemmis auroq́ coronam
Fulgentem, & varias contudit ipſe vices.
Iam Sol Iuſtitiæ ſuperat caligine pulsâ:
Et rutilum celsâ ſpargit ab axe iubar.

13

HIERONYMVS PRAGENSIS Boëmus.




Sancta fides, mors sancta fuit mihi, vitaq; sancta:
Miraris sanctum nomen & esse mihi?

M. CCCC. XVI.

HIERONYMVS BOEMVS PRAgensis vere ſancto dignus nomine.

Martyr Chriſti fidelis:
Pragæ in patriâ bonis imbutus literis:
Lutetiæ Magiſter art. lib. ſalutatus:
Præcipuis Galliæ & Germaniæ academijs ſing. ingenij & doctrinæ laude cognitus:
Primò diſcipulus, deinde familiaris, pòſt collega factus S. Chriſti Martyris IOH. HVSSI, à quo ne morte quidem diutius diuidi ſuſtinuit:
Mirandâ & planè diuinâ eloquentiâ, animique fortitudine & conſtantiâ præditus ſingulari:
Religionis ergò ſanctiſſ. CCCXL. ampliùs diebus immaniſſ. detentus carceris ſordibus, & iniurijs:
Pari tandem vel potius eodem fato ac triumpho, altero poſt Huſſum Doctorem, fidei ac eiuſdem certaminis ſocium, & conſortem, Anno, nobilitatus:
Crematus viuus Conſtantię obijt 3. KL. Iun. Anno. M. CCCCXVI.



Ioannis Rosini Zatecensis.

Iungitur in coelis praestanti Hiero-
nymus Husso,
Exuviae vitreis consociantur aquis.

IN EFFIGIEM HIERONYMI PRAgensis, pro Christi nomine Constantiæ exusti.

MART. LVTHERI.

Augustâ facie præstans Hieronymus, isto
Constrictus subijt funera dira modo.

EIVSDEM.

Martyrio socium dum vult Hieronymus Hussum
In propugnandâ relligione sequi:
Impia væsani taxat deliria cleri:
Iniustâq; Hussum morte perisse probat.
Hinc furijs in eum Synodus Papalis ab omni
Concita parte, adhibet vincula dura viro.
Quæ quia nil illi nocuére nec inclyta quoquam
Tormento pietas se domuisse dedit:
Fortiter eloquio pugnantis, & arte stupendâ,
Corpus in accenso vix domuêre rogo.
Hæc est Ausonij pia castigatio patris:
Ordinis hoc proprium spiritualis opus.
I, jacta titulos, & inania nomina, quisquis
Romanæ sequeris talia castra feræ.

IOANNIS LAVTERBACHII.
.Crux incrementum piorum.

IOAN. LAVTERRACHII.

Fœcunda persecutione Ecclesia.

In mortem socius constans Hieronymus Hussi,
Cui sua cognomen patria Praga dedit:
Humanorum operum pietatem carcere vinctam,
Perrupto, socij, carcere soluit ope.


Non operum docuit meritis constare salutem,
Sanguine sed Christi, quem capit alma fides.
Doctrinam nequyt Præsul dum ferre Latinus,
Vi condemnatus cogitur igne mori.
Nunc animâ viuit felix Hieronymus, omni
Supplicio tutus, saluus & astra tenet.
In corpus tantum possunt sæuire tyranni,
Tollere non animam (quæ est tua Christe) valent.

HIERONYMI TREVTLERI.


Tu quoque constantis properans in fata Magistri
Non metuis rapidis tradere membra rogis.
Hæc modò misceri leuibus potuere fauillis:
Spiritus in cœlo, nomen in orbe viget.

N. REVSNERI.

Ingenium, virtus, ars, eloquiumq́; fuêre
In te magna: Dei maior at exstat amor:
Pectore quem celso viuens moriensq́; fateris:
Inq́; rogo sanctam concinis usq; fidem.
Ausus Pontificum fœdos HIERONYME mores
Carpere, sis Hussi fidus vbiq; comes:
Patronus sanctæ causæ, mortemq́; pacisci
Pro verâ cupidus relligione Dei.
Quam cupis, ergo capis sanctâ cum morte coronam:
Aethereâ, Christi martyr, in arce sacer.



RVDOLPHVS AGRICOLA Frisius.



Primus ego Latiæ cultor, Graiæq; Camœnæ,
Germanos docui Musica castra sequi.

M. CCCCXXCV.

RVDOLPHVS AGRICOLA FRISIVS, in pago non procul à Groninga vrbe natus;

Cuiuis ſummorum ſuæ ætatis vel ingenïo, vel
doctrinâ, vel eloqnentiâ par
habitus.
Primo ſtudiorum tyrocinio LOVANII
egregiè depoſito:
Præter Græcas & Latinas literas, omnibus
artibus optimis Ferrariæ in Italia or-
natus, ſub Theodoro Gaza
doctore Clariſſ.
Demum Academiæ Heidelbergenſis Profeſſor,
& diſputationum factus moderator
præſertim Logicarum:
Commentario in lucem edito de Inuentione
Dialectica ſanè pulcerrimo atque
elegantiſſ.
Pſalterio etiam ex Hebræa lingua in Latinum
fideliter translato:
Philoſophiæ Ariſtoteleæ, interpres ſui ſe-
culi princeps:
Obijt Heidelbergæ, Anno Chriſtiano.
M. CCCCLXXXV.

ETEOSTICHON.

Ios. à Pinu.

Quà ter clara iacet tribus Heydelberga deabus,
Ruricola è terrâ raptus in aſtra fuit.

IN RVDOLPHVM AGRIcolam.

Epigrammata.

B. ARIAE MONTANI.

Si tibi maturis tantum licuisset ab annis,
Quod medium statuis perficere Agricola:
Auctores alij poterant quieuisse diserti:
Quicquid enim ratio postulat, ipse dabas.

IOAN. LATOMI.

Qui putat ingenijs patriam conferre, Rodolphum
Agricolam Latij dixerit esse soli.
Aut extra Italiam nasci minùs esse beatum:
Hunc ipsum Frisium, qui putat, esse sciat.

GEORGII FABRICII.

Agricolam Italia est omnis mirata Rodolphum:
Qui primus Clarij est duxq́ paterq́ chori.

ANONYMI.

Agricola è Latio primus deducere Musas
Ausus es in patriam, docte Rodolphe, tuam.

EIVSDEM.

Pro meritis quæ digna satis te docte Rodolphe
Musa canet, Frisij spemq́ decusq́ soli?
Dum Logicæ salebras in apertam conijcis artem,
Et resonat numeris dulcibus ista chelys.
Ausonia ingemuit peregrinæ murmura linguæ,
Tam mulcere aures molliter illa suas.

AEGIDII PERIANDRI.

Germanos primus Graiam deduxit ad vndam:
Hinc illi Graius primus habetur honor.

HERMOLAI BARBARI.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſij ſpemq́; decusq́; ſoli.
Scilicet hoc uno meruit Germania, quicquid
Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.

IOAN. CAMERARII DALBVRGII
Præſulis Vangionum.

Τύμβος ἔχει Ῥούδολφον ὅδ᾽ Ἀγρικόλαν μερὶ πολλῶν
Ευλλογον ἠδὲ σοφὸν, πνεῦμα πάρεστι θεῷ.

HIERON. TREVTLERI.

Itala quem tellus miratur, ut inde Camœnas
Deducit, verum quis neget Agricolam?
Fallor? an auctoris quia laus eſt maxima primi,
Ora tibi doctas Teutona debet opes?

HIERONYMVS SAVONOROLA Florentinus.



Vrit amor me Chriſte tuus: dein perfidus hoſtis
Vſtulat: in cœlo Sauanorola beor.

M. CCCC. XCIIX.

HIERONYMVS SAVANO-rola Italus, Florentinus:

Concionator, ex Dominacorum ordine olim Monachus:

A Patre Luminum Deo Opt. Max.

Sanctæ Fidei tandem & Veritatis inuictæ radijs illustratus cœlestibus:

Quam magno posteà cum Zelo religiosè tutatus, & ad vitæ vsque spiritum extremum constanter professus est:

Sanctis sanctæ doctrinæ post se monimentis relictis, in omne æuum perduraturis:

Martyr denique factus Christi:

Maximo cum bonorum ciuium luctu.

Strangulatus (heu) viuus primùm: ac deinde mortuus cum duobus socijs crematus Florentiæ, postulatu Alexandri VI. Pontif. Rom.

Obijt Anno M. CCCCXCIIX. X. KL. Iunij. Aet. XLV. M. IIX.

IN HIERONYMVM SAVANOROLAM.

M. ANTONII FLAMINII.

Dum feru flamma tuos Hieronyme pascitur artus:
Relligio sanctas dilaniata comas:
Fleuit, & ô, dixit, crudeles parcite flammæ:
Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.

ANONYMI.

Infelix bustum cecidisti HIERONYME, secli,
Inidia, ostendi nunquam sua crimina passi:
Fatidicis Clarij quamuis oracula Phoebi
Vicisse elogijs, Cumææq; carmina dictus.
Certius haud quisquam surgentia dicere fata
Numinis afflatu, aut venientia tempora norat.

IO. IACOBI. BOISSARDI.


Desine Alexandri verbis perstringere mores:
Qui libertatem reprimet igne tuam.

NATHANIS CHYTRAEI.

Quando ſacerdotum corruptos tangere mores,
Et ſcelera auſus erat Papæ exagitare ſuperbi:
Innocuum vitâ & ſtudijs Florentia tandem
Sauanorolam, Arno lacrymas fundente, cremari
Vidit, & indoluit: quum nec Pietasq́ꝫ Fidesq́ꝫ
Reprimerent gemitus: quarum utraq́ꝫ, teſte fideli
Flaminio, hac nimios teſtata eſt voce dolores:
Parcite, nil meritis immanes parcite flammæ:
Viſcera noſtra etenim tam ſæuis ignibus ardent.

HIERONYMI TREVTLERI.

Surculus ille tuo Florentia pulcra decore
Pulcrior, eſt monachi vera figura pij.
Aſpicit Impietas habitum temerarier iſtum:
Et ſua Vulcano vindice dona piat.



IOANNES GEYLERVS CAESARIS-bergius, Argentinensis Ecclesiæ Concionator.



Sacra docens, fidei monstro tibi lumina sanctæ,
Clarius Argyrope mox habitura decus.

M. D. X.

IOANNES GEILERVS AL-
ſatius:

Patriâ natus Monte Cæſaris oppido imperiali:
Perluſtratis varijs orbis Chriſtiani academijs:
Præclaram non Philoſophiæ ſolùm, ſed inprimis Theologiæ ſtudijs perdiſcendis aſſecutus gloriam:
Quam ipſe max. cum admiratione ſummæ eloquentiæ, memoriæ, conſtantiæ, non vno poſteà loco profeſſus publicè:
Literarum diuinarum Doctor ſanctiſſ.
Sermonibus per multos annos ſacris habitis, præter patriam,
Herbipoli, Baſileæ, Friburgi:
Tandem ſacris præfectus Argentinæ concionibus in ſummo Templo:
Petro Scoto Coſ. prudentiſſ. auſpice rem moderante diuinitus, atque conſtituente:
In quo verſatus munere cum laude & gloria, annis totis XXXII. ampliùs:
Tanto pietatis zelo, & tam claro innocentis vìtæ, viuæq́ue doctrinæ exemplo:
Præcipuis Germaniæ Antiſtibus, inſuper etiam Diuo Maximiliano. Aug. Cæſ. carus ob id maximè habitus:
Obijt Anno M. D. X. Aet. LXXVI.
Eidibus Martijs.

IN IOAN. GEILERVM CAESARIſpergium, Summi Templi Argentin. Concionatorem.

SEBASTIANI BRANDI.

Quem meritò deſlet vrbs Argentina, Ioannes
Geilerus, Mons cui Cæſaris eſt patria:
Sede ſub hac recubas, quam rexti Præco fidelis,
Sex propè luſtra docens verba ſalutifera.
Tu ſplendor Cleri: ſpeculum pietatis: amator
Virtutum: pacis iuſtitiæq́; ſator:
Tu morum cenſor: vitiorum acerrimus hoſtis:
Tu ſcelerum omnigenûm maximus oſor eras.
Solamen miſeris: inopum pater: atque patronus
Mitis in acceſſu, perq́; benignus item.
Nec perſonarum fueras acceptor: at æquâ
Cunctos taxabas lance libraq́; pari.
Nec præbendarum cumulaſti parcus aceruos:
Contentus tenui ſemper at officio:
Diuitias contempſiſti, faſtumq́; & honores:
Numilegos Druides carpere doctus eras.
In factis conſtans, ſtabilis quoque: non ut arundo
Aut ſtipula aëripes vento agitata ſolet.
Cuncta opere expleſti benefacta prius: docuiſti
Tum deinceps alios te & tua facta ſequi.
Tu pompas ſecli fugiſti, & gaudia vanæ:
Verba Dei aſsiduè, ſcriptaq́; ſancta legens.
Pro tantis cœlum meritus virtutibus inde,
Sub pedibus cernis ſidera clara tuis.

IACOBI VVIMPHELINGII.

Argentina Deo grates age, plaude, triumpha:
Quòd talem morum visa es habere patrem:
Terdenos supra antistes qui maximus annos
Te docuit, simul & scripta probata dedit.
Ad declamandum non impulit hunc sitis auri:
Non fauor, aut luxus, aucupiúmue nouum:
Sed diuinus honos, animarum zelus & ingens:
Quas docuit rectam carpere ad astra viam.

PETRI GVNTHERI.

Quod Romæ Cicero fuit eloquio, pietate
Scipio, Pompilius relligione Numa:
Iustitiâ Grachus, constanti corde Metellus,
Seneca consilijs, ingenióq; Cato:
Quod Crassi grauitas operis, clementia Bruti,
Castus amor Fabij, Fabricijq; modus:
Quod Romæ plures: hoc Cæsarspergius unus,
Argentina tibi gloria magna fuit.
Flete patrem patriæ, civem lugete Treboces:
Occidit en vestri duxq́; paterq́; gregis.
Hunc precibus seruate pijs lugubriter: ut sit
Vester apud superos, quod fuit antè, pater.


IOAN. LACHMANNI.

Vescitur ambrosiâ, tui vix manet orbe secundus:
Quod docuit Pastor, ritè sequantur oues.

HIERON. TREVTLERI.

Magnorum me cura Ducum veneranda fovebat,
Servantem linguæ liberioris iter.
Illa secuturæ iam ium primordia lucis
Eminus adventus signa dedere sui.

SEBASTIANVS BRANDVS
Iuriſconſultus.



Iuriſconſultus poteram, & ſimul eſſe Poëta:
Barbaries ſecli ni vetet ipſa mei.

SEBASTIANVS BRANDVS, qui & Titio.

ARGENTORATI vrbe Imperij ſacri liberâ natus, anno M. CCCC. LIIX.

Artium humaniorum BASILEAE perfecto Magiſterio:

Quarum exornandarum atque illuſtrandarum ſtudio flagrans incredibili:

Optimis quibusque auctoribus in publicum propoſitis, & ab interitu vindicatis:

Magnum & patriæ, & ſibi paſsim nomen comparauit.

POETA pariter, & Iure conſultus ſeculi ſui eximius:

Præſtantis ingenij ſui monimentis vtrinque relictis quàm plurimis:

Obijt Argentorati Anno Chriſtiano M. D. XX.

IN SEBASTIANVM BRANDVM. IC. EPIGRAMMATA.

Georg. Fabricij.

Culta ſatis nondum ſcribebas carmina Brande:
Sed vitium potiùs temporis illud erat.

AEGIDII PERIANDRI.

Stultiferæ Brandus quum tendit carmina naui:
Tunc verè ſapiens cuilibet eſſe poteſt.

HIERO. TREVTLERI.

Primus es hoc ſeclo pravos oſtendere mores
Auſus, iudicio plenus, & ingenio,
Et ſua ſunt ſtudijs cunabula: ſi quid in arte
Culpatur, veniam tempora forte dabunt.

HVLDRICHVS HVTTENVS EQVES
Francus, & Poëta.



Martis eram, simul & Musarum fortis alumnus:
Laureolæ decus hinc nunc vtriusq; fero.

M. D. XXIII.

IVLDRICHVS HVTTENVS EQV.
Francus, natus anno M. CCCCXIIC.

Optimis eruditus artibus omnibus: Mineruâ
duce ac Magiſtrâ:

Literarum pariter, & armorum præſtans gloria:

ADIVO MAXAEMYLIANO I.
Cæſ. Aug.

Ob excellentis ingenij vim, ac probatæ virtutis in bello Veneto laudem
ſingularem:
Et Poeta lauro, & Eques auro coronatus:
Acerrimus propugnator communis
libertatis:
Religionis vindex, fideique rectæ conſtantiſſ:
Partium ſemper ſtudioſus ac defenſor
bonarum:

MVSARVM ET GRATIARVM
Hierophantes incomparabilis:

Obijt anno Chriſti M.D.XXIII. M. Sextil.
Sepultus in Lacus Tigurini Inſulâ
Vfnaviâ, à ſe Huttenicâ,
hodiè denomi-
natâ.

ETEOSTICHON.
Ioſephi à Pinu.

Ignifer in tepido ſulſit Sol ſidere Libræ
Huttene, ut cœli tecta beata capis.

IN HVLDRICHVM HVTTENVM EQV. FR. & Poetam Epigrammata.

VIRTVTE NOBILITAS.

IOAN. LAVTERBACHII.

Doctrina, Mars, Pietasque reddunt nobilem.

Huldrichus Huttenâ Francorum gente creatus,
Germanus priscæ nobilitatis Eques.
Palladias iuuenis colui promptißimus artes:
Cæsare pro magno Martis in arma rui.
Defendi calamo verum pietatis honorem:
Haud fucum vires paßus habere suas.
Hinc peperi solers nunquàm delebile nomen:
Quo vivens serâ posteritate fruor.
Nobilitas multum mihi conciliauit honoris:
Mars multum, & Pallas, plus Pietatis amor.
Quem Pietatis amor, Pallas, Mars ornat, ademptus
Postgenitos inter nomine vivus agit.

GEORGII FABRICII.

Huttenus Musas semper, Martemq; secutus:
Gloria Musarum, gloria Martis erat.

GEORGII SABINI.

Frigida túne vocas Hutteni carmina vatis:
Cuius in ingenio viuida flamma fuit?
Quin tua Musa gelu torpet: te si quis ad illum
Contulerit, glacie frigidiora canis.

IN TVMVLVM EIVSDEM.

HELII EOB. HESSI.

Ipse equidem claris fuêram natalibus ortus
Huttenus, patrio sanguine Francus eques:
Sed mihi plus curæ fuit, ut generosior essem
Diuitis æternis dotibus ingenij.
Parvus adhuc, primaq́ꝫ notans lanugine malas,
Musarum certo numine plenus eram.
Pænè puer varias gentes, & plurima vidi
Oppida: fortunæ victor vbiqꝫ trucis.
Prima rudimentis clausa est iuuenilibus ætas:
Digna viro gessit munera vita sequens.
Nam patriæ laudes, & libertatis ademptæ
Iura manu & calamo fortiter adserui.
Scit Romana lues bullarum turba ministri:
Nec tu strate mihi Galle superbe negas.
Principibus quoqꝫ gratus eram: sed plena malorum
Tempora, non sunt hoc passa fuisse diu.
Nunc post fata breui clausum est breue corpus in vrnâ:
Fama manens pulsat Solis vtramqꝫ domum.

IOANNIS STIGELII.

Heic iacet in viridi tumulatus cespite vates
Hutteno Vlricus stemmate natus Eques:
Qui calamo gladioq́ꝫ ferox, & fortis vtroqꝫ,
Prælia cum multo fortiter hoste tulit:
Tempore quo Christi verax doctrina reluxit:
Quæ diuturnâ operum nube sepulta fuit.

Non poterat turpes Saliorum ferre cothurnos:
Quorum est ingluuies & gula foeda Deus.
Quæ tamen his damnum, meliùs quàm milite ferret,
Illius est calamo Romula scripta Trias.
Inuidiam atq; odium multorum incurrit & iram:
Omnia dum Franco pectore recta cupit.
Cede furens Liuor: tamen hæc est vna potestas
Vatibus: æternum, quæ cecinêre, manent.

PETRI LOTICHII.

Alloquor Hutteni manes cineresq́; Poëtæ:
Quos breuis in medijs insula claudit aquis.
Este salutati manes: hæc summa laborum est:
Alma quies vobis sit, nec arena grauis.
Accipe cum violis lacrymas: tibi fundimus illas,
Morte tuâ felix maxime nuper eques.
Felix morte tuâ, patriæ non fata ruentis,
Cuius eras vindex, non tot acerba vides,
Patria post obitus tibi contigit altera cœlum:
Maior & in cunctos sit tua fama dies.
Fortunate cinis, venerande nepotibus ipsis,
Aeternùm salue, perpetuumq́; vale.

IOAN. FABRICII MONTANI.

Hæc quicunq; citâ decurris stagna carinâ:
Ponis & hoc nostro littore fortè pedem:
Imperio sic aura tuo, sic pareat vnda:
Perlege, quæ saxo carmina sculpta vides.
Hoc Equitum decus, hoc vatum Germaniæ ocellus,
Huttenus iaceo conditus in tumulo:

Ingenio dextraq́ȝ potens, dum vita manebat:
Musarum, simul & Martis alnmnus eram.
Cæsar Apollineâ cinxit mea tempora lauro:
Idem pro meritis nomen equestre dedit.
Sæpe bonos mutare solum fortuna coëgit:
Magna quibus patriæ pœna carere fuit:
Ast mea non alio tantum se iactat alumno
Francia: nec meritis est malè grata meis.
Aeger ad has veni legatus Cæsaris oras:
Quum me mors alias iussit inire vias.
Antè sepulturæ seruiret ut angulus iste,
Quàm morerer, socijs iussa suprema dedi:
Assiduis vbi me lugerent planctibus vndæ:
Et gemerent plenis signa refusa vadis:
Sertaqȝ vernarent tumulo natiua sub ipso:
Et querulæ canerent flebile semper aues.
Vade, sed admonitu nostri, spes contrahe laxas:
Quo minimè credis, stant tua fata loco.

EIVSDEM.

Quod gentilitijs posset præponere signis
Huttenus, Musis Gratia iuncta fuit.

HIERON. TREVTLERI.

Stemmate militiaq́ȝ potens Huttenus vtraqȝ
Gloria Franciacæ nobilitatis eram.
Hac ratione decet Martem sociare Minervæ,
Hæc ut iudicio præsit: at ille manu.

GEORGIVS VVIRTH MEDICVS, ARCHIAter Ludouici Regis Hungariæ, & Boëmiæ



Carniolæ ducibus, Regi dein Pannonis oræ
Gratus eram, Medicâ doctor in arte bonus.

M. D. XXIV.

GEORGIVS VVIRTH LEObergæ in Silesiâ natus, Anno M.CCCCLXX:

Post prima studiorum Tyrocinia,
Plurimis atque optimis extra patriam ornatus artibus:
Magisterij primò Lipsiæ, Anno M.D.IX. dein amplissimo Doctoris titulo in Medicinâ decoratus Bononiæ, An. M.D.XV:
Quum ex Italiâ per Liburniam in patriam regredi cogitaret:
Præter spem ac votum, Prouinciæ illius Medicus qnasi diuinitus delegatus:
Quin & paulò pòst Inclyto Ludouico Boiemiæ & Pannoniæ Regi designatus Archiatrus:
A quo tandem ipse, splendidissimo isto cum lande & dignitate perfunctus munere, Budissinæ Lusatiorum constitutus Decanus, singularis ergò meriti:
Literarij ocij sui symbolis relictis in omne æuum perduraturis:
Obijt Gorlicij feliciter, Anno M.D.XXIV. Aet. LIV. IX. Nartij.

GEORGII VVIRTH.

Arte fui magnus Ludouici Regis in aulâ
Pannonici: Carni me coluêre viri:
Budissina facit me, Rege iubente, Decanum:
Gorlicij sacrâ sum tumulatus humo.

IN GEORGIVM VVIRTHVM Medicum, Archiatrum Regium.

IOANNIS RIVII.

Magnus ut ingenio, ſic clarus honore: Magiſtri
Egregij primùm iura locumq́; capit:
Hîc vbi Muſarum ſedem Philyræus Eliſter
Alluit, & rapidus Lipſidos arua premit.
Poſt hinc digrediens, Italasq́; profectus ad oras:
Per medicas artes ſedulus ire parat:
Felſina Doctoris meritâ ornatumq́; coronâ
Ad patrios iuſsit læta redire Lares.
Hoc titulo fulgens, agitare inglorius artem
Noluit: ingenij conſcius ipſe ſibi.
Tum Regi iuueni Ludouico ſceptra Bohemo
Qui tenuit, præſtò eſt, Pannonioq́; ſimul.
Ergo ſalutiferæ medicamina porrigit artis:
Et reliquis fauſtâ præſtitit ille manu.
Felix ô, hæres ex fratre Georgius artis
Cui parilis, ſimul & nominis alter adeſt.

HIERONYMI TREVTLERI.


VVirthius hic medici, ſtudiorum luce renatâ,
In grege Teutonidum, ſama decusq́; chori:
Pannoniæ regis Ludouici cura ſalutem
Huius amat: ſed mors inuida fata parat.

HIERO. REVSNERI.


Quem magnâ cernis gravitate, Georgius hic eſt
VVIRTHIVS: ingenio maximus, arte potens.
Arte potens medicâ, medico celeberrimus vſu:
Poſterior multis tempore, laude prior.
Ludvici curam geßit medicando ſalutis
Pannoniæ Regis: laus ea magna fuit.
Claræ hunc decrevit quoque Budißina Decanum:
Non labor eſt labor hic, quem comitatur honos.

N. REVSNERI.

Quem Ludouicus amat rex Pannonis atq; Boëmæ
Oræ, dum Medicum deſtinat ipſe ſibi:
Multis quem donis & honoribus auget, & ornat,
Cuſtodem vitæ per mala damna ſuæ:
Quem Budißinæ tandem creat ipſe Decanum:
Quò vitæ reliquum ſpontè quietus agat:
Ille inquam, Phoebi decus orbe Georgius ille
VVirthius ad cœlos exÿt ante diem.
Patria cui Leoris vitam dedit antè Sileſis:
Gorlicÿ vrbs tumulum Luſatis inde ſacrat.



BILIBALDVS PIRCHAIMERVS PATR. Noricus, Hiſtoricus.



Carminis auctor eram bonus, hiſtoriæq; : ſed orno
Carminis auctores hiſtoriæq; magis.

M. D. XXXI.

BILIBALDVS PIRCKHAIMERVS patriciâ gente Noribergæ vrbe imperiali natus, Anno M.D.I.

Omni liberali doctrinâ politiſsimus:
Mathematum preſertim & Hiſtorię ſtudioſiſsimus:
Quarum diſciplinarum egregijs poſt ſe relictis monimentis, patriæ Germanię illuſtrandę operam impendit fidelem:
Sed & Gręcarum pariter & Latinarum literarum peritiſsimus:
Conuerſis è Gręco in Latinum pręſtantiſſ. auctorum, Xenophontis, Ptolomęi, Plutarchi, Nazianzeni ſcriptis quàmplurimis:
Summâ pręterea auctoritate & prudentiâ pręditus:
Patrię Senator ampliſsimus:
Divo Maximiliano I. Cęſ. Aug. à conſilijs,
Optimè de Repub. Chriſtiana meritus:
Obijt Noribergę, Anno Chriſtiano M.D.XXXI.

IOSEPHI À BINV

Eteoſtichon.

Conſilio ut Pyrghaymerus bonus exit ab orbe:
Sol propè contacto Piſce peregit iter.

IN BILIBALDVM BYRGHEYmerum Patr. Noricum.

EPIGRMMATA.

H. EOBANI HESSI.

Quod tibi de ſtudijs nomen Bilibalde paratum eſt
Inuidiâ ſaluum iudice nomen habes:
Et quum multa orbi dederis documenta tuarum
Virtutum linguæ, pectoris, ingenij:
Quumq; tot à populo paßim tua ſcripta legantur:
Et vacet in laudes vtraq; lingua tuas:
Non leuis illa meam ſubit admiratio mentem,
Cur mihi ſis totus cognitus antè parum.
Nouimus eloquij præſtantem laude pedeſtris,
Et linguâ quiduis Atthide poſſe loqui.
Nouimus ingenio callere Mathemata miro,
Et quicquid Sophiæ totus hic orbis habet:
Expendiſſe ſacri ſcrupuloſa volumina iuris:
Vtilibus nulli cedere conſilijs:
Hactenus hæc orbi de te ſunt cognita: nobis
Pars ignota tui maxima, penè fuit.
Quòd bona tam facili deducis carmina venâ:
Iſtâ me poteras parte latere tui?
Quid tua, ceu lucem fugiat, tam ſola vagatur
Pieris, in ſcenâ digna patente legi?
Quæ niſi, quod nolim, populo ſeſe inuidet ipſam,
Ingrata eſt nimium dotibus ipſa ſuis.
Multa quidem populo paßim tua ſcripta leguntur:
Carmina de multis pauca fuiſſe voles.

Vive decus patriæq; tuæ, præsentis & ævi:
Dotibus ingenij vix habiture parem.

AEGID. PERIANDRI.

Reddita quum vidit Xenophon tua scripta Latino
Graia, refert: valeant, Italus esse volo.
Errauit vox illa viri: quæ causa videtur?
Quòd veluti Latius verba Latina sonas.
Quum curris Graio, Latio quum surgis in æstu:
Græcia te iactat, Romuleumq; solum.
Gemma soli tu Teutonici, tu magna Thaleiæ
Gloria: nunc famam totius orbis habes.


ANONYMI.

Laus clare non postrema debetur tibi
Bilibalde: per te Præsulis munus pij,
Quod aureo de fonte promptum legimus,
Et facta Achiuæ gentis armis inclyta:
Quin de veteribus Teutonæ oræ sedibus
Non vanus augur hariolare scitulè.

HIERON. TREVTLERI.

Te solers Noriberga satum de gente vetusta
Edidit, & Regum concælebravit amor.
Ingenium, Pietas, Candor, Prudentia lucent
Clariùs historiæ per monumenta tuæ.

HVLDRICHVS ZVINGLIVS HELVEtius, Ecclesię Tigurinę Pastor.



Pro sacris dum pugno focisq́; athleta fidelis,
Cæsus & ense, cremor martyr & igne duplex.

M. D. XXXI.

HVLDRICHVS ZVINGLIVS HELuetius Zugij natus Anno M, CCCCXCIII,

Primâ adeſcentiâ ſtudiorum, Baſileæ primùm,
deinde Bernæ, tùm Viennæ Auſtriæ
laudabiliter peractâ:
Magiſter artium & Philoſophię ab Academia
Pronunciatus Baſileę A. M. D. VI.
Literis pòſt ſacris initiatus ibidem, operâ vſus fideli Thomæ Vittebachij Theologi clariſſ.
Sacerdos factus primò Claronæ Anno M.D.XVI:
Paſtor dein electus in celebri illo Eremitanæ virginis fano:
Demum Tigurinæ Eccleſiæ ſummus conſtitutus
Doctor & Antiſtes, Anno M.D.XIX.
Primus in Heluetiâ Pontificum indulgentijs fortiter ſe oppoſuit: Religionem Euangelicam inſtaurauit: Fœdus cum hoſtibus Dei impium
fortiſsimæ nationi diſſuaſit ſedulò:
Multis in Religione libris ſcriptis:
Colloquio ob Euchariſtiæ negocium publico
cum Theologis Marpurgi habito:
Anno M. D. XXIX:
Bello tandem Heluetico ciuili in caſtris miniſterio fungens ſuo:
Cæſus ab hoſtibus fortiter occubuit XI. Octob.
Anno Chri. M. D. XXXI. Aet. XLIV.

IN HVLDRICHVM ZVINglium Theologum.

THEODORI BEZAE.

Zuinglius arderet gemino quum sanctus amore,
Nempe Dei inprimis, deinde etiam patriæ:
Dicitur in solidum se devouisse duobus:
Nempe Deo inprimis, deinde etiam patriæ:
Quàm benè persoluit simul istis vota duobus,
Pro patriâ exanimis, pro pietate cinis:

ANONYMI.

Quid tibi cum rabidi Martis furialibus armis
Docti ingenî ZVINGLI fuit?
Transigeris costas putri porrectus arenâ,
Phalangis inter principes.
Debueras inter sacras senuisse Camœnas,
Ac profuisse moribus.

HIERON. TREVTLERI.


Zuinglius Oenotrij, quæ tum spargebat vbiq;,
Fortiter impugno toxica dira, lupi
Pro patriaq; cado, sic rem poscentibus armis,
Ne causam videar deseruisse meam.

TVMVLVS EIVSDEM.

Qui Christo & patriæ vixit, docui, vigilauit,
Pro Christo & patriâ fortiter occubuit.
Sed quid rettulerit, quâ tandem morte necetur:
Cui, dum viuebat, viuere Christus erat.
Zuinglius occubuit, sed corpore: cætera nunquàm:
Nam meliore sui parte superstes erit.
Rumpere liuor edax, vitâ qui perpete Christo,
Quiq; bonis manet, haud mortuus esse potest.
Mors etiam lucro est: multo iam fœnore mentis
Fortiùs exurgent semina sparsa piæ.

ETEOSTICHON.

Occubuit patrio bellator Cinglius ense:
Et pressa est armis gens populosa suis.



50

IOANNES OECOLAMPADIVS
Basiliensis Ecclesiæ Pastor.



Quem coluit Basilea sacrorum clara ministrum:
Sim LAMPAS Domini, quod vocor, opto, DOMVS.

M. D. XXXI.

IOANNES OECOLAMPADIVS
Germanus, Vuinsberga Franciæ oppido oriundus, Anno M. CCCCXXCII:

Opt. Art. Bacalaureus, mox & Magiſter Heidelbergæ factus:
Iuriſprudentiæ primùm operam dare cœpit Bononiæ in Italia:
Reuerſus deinde in Germaniam, Io. Capnione vſus doctore, in Acad. Tubing.
Trium lingnarum peritiſsimus:
Profeſsione Theologus eſſe maluit, quàm Iuriſconſultus:
Patriæ primò Eccleſiaſtes, dein Baſileæ, pòſt Auguſtæ factus:
Sacros. Theol. Doctor creatus Anno M D.XVI:
Multùm ille hinc inde varijs iactatus caſibus:
Primus tandem Euangelicæ Doctrinæ auctor, & ſummi conſtitutus Templi verus Epiſcopus:
Vt doctrinâ, ſic vitæ ſanctimoniâ colendiſsimus:
Magno vrbis cum luctu & deſiderio:
Peſte graſſante, fidus gregis ſui Paſtor, & Pater, anthrace correptus placidè obdormiens:
Obijt KL. Decemb. Anno M. D. XXXI.
Aetatis ſuæ XLIX.

IN IOANNEM OECOLAMpadium Theologum.

THEOD. BEZAE.

OECOLAMPADIVS, ſerena nuper
Lampas, æde ſacrâ Dei coruſcans:
Qualis limpidiorúe, puriorúe
Vix vllis micuit lucerna ſeclis,
En mortis iacet obrutus tenebris.
At vobis malè ſit, malæ tenebræ,
Lucis munere quæ breui fruentes,
Eheu, nos miſeros homunciones
Nocte ſic premitis tenebricoſâ.
Sed benè hoc cecidit, nigræ ô tenebræ,
Quòd dum ipſam petitis, malæ, lucernam;
Laternam tamen obruiſtis vnam:
Laterna ut lateat quidem hîc ſepulta,
Ipſa ſed magis emicet lucerna.

ANONYMI.

Cecropijs quod & ante Solon cordatus Athenis,
Et tibi, bellipotens Sparta, Lycurgus erat.
Diuinis lubeat rectè modò legibus uti:
Oecolampadius hoc Baſilea tibi eſt.

IOAN. RHELLICANI.

Νηὸς ἄριστος ἔπιπτε θεοῦ, ὡς ἔξοχος ἄλλων
ὤλολε συμμυστῶν ἡμετέρας γενεᾶς.
Οὔνομα προσσῆκον τῷ πράγματι κεῖνος ἔλογχε.
Οἰκολαμπάδιος γάρ τε καλεῖ ὁ καλῶς.
Οἴκου γάρ τε θεοῦ μεγάλου ποτὲ λαμπὰς ἐκεῖνος,
ἤχιστου ἀγορῇ λάμψε φαεινότερον.
Λαμπὰς ἔραντο μὲν οὐ πάντως δὲ φάος τε καὶ αὐγή,
ὤλολε σὺν ταύτῃ. βιβλία γάρ τε μένει,
Οἷς μέγα φῶς λάμψει καὶ ἔοισι, καὶ ἐσσομένοισι
Εὐσεβέσιν μυσταῖς δευομένοις διδαχῆς.

P. CANDIDI.

Clara sacrâ Domini fulgebat lampas in æde,
Oecolampadius tunc vbi præco fuit.

HIERONYMI TREVTLERI.

Multa dedi, docuiq́, vagum dispersa per orbem,
Quæ pia posteritas, si qua futura, legat
Forsitan Hebræo dicar doctißimus ore:
Vt pereant lites, laus stet ut ista, sat est.

IOANNES STOFLERVS
Mathematicus:



Quem genuit Iustinga, fouet, ſepelitq́ Tubinga:
Procli ſum interpres, auctor Ephemeridum.

M. D. XXXII.

IOANNES STOFLERVS IVſtingæ natus in Sueuia, Anno M. CCCCLII.

Mathematicis à prima adoleſcentia delectatus diſciplinis:
Ad quas addiſcendas, plerisque Academijs Germaniæ perluſtratis, plurimum operæ, ſtudij, diligentiæ, laboris contulit:
Parem in his ætate ſuâ nullum, nullum habens ſecundum:
Tubingæ multis poſtea annis profeſſus Mathemata:
Neque viuâ ſolùm, ſed & mutâ voce: eaque multis tamen victurâ ſeculis Reipub. commodans literariæ:
Opere illo Ephemeridum egregio, vnà cum quibusdam alijs minorum vigiliarum operis, in publicum emiſſo:
Immortale ex eo nomen, & decus adeptus ſempiternum:
Obijt Blaubeurij, ſepultus Tubingæ, ſenex admodum, venerandâ conſpicuus canicie, Anno Aet LXXX. Salutis: M. D. XXXI.

Ioſephi à Pinu Eteoſtichon.

Conditur hîc fato functus Stoflerus acerbo,
Terreſtris gnarus, ſidereæq; plagæ.

EPITAPHIVM.

Ioan. Stofleri Mathematici.

Heus heus adesse te cupit,
Rogatq; saxum ut hoc legas.
Mathesis ecce principem
Dedit, tulitq; Suevia
Vel illa Martia. Hoc decus
Sed abstulit nimis fera hic
Premitq; Parca iam cubant,
Vt cernis, ossa Stofleri:
Precare quisquis hac abis.

FR. PLRAPHELENGII.

Stoflerus ille, cuius hic imaginem
Sculptam videtis, siderum
Docens meatus, sidus inter siderum
Elucet vnicum Sophos.

DE EODEM.

Eteostichon Iosephi à Pinu.

Piscibus it radians Deus insignita per astra,
Stoflere iniecit Parca vbi vincla tibi.

IOANNES AVENTINVS
Boius Historicus.



Boiorum veteres renouaui gentis honores:
Complexus magnam fascibus historiam.

M. D. XXXIII.

IOANNES AVENTINVS COG.
Turmairius, Abusinâ Boiariæ oppido natus, anno M.CCCCLXVI.

Post pætriam scholam Ingolstadij in literis
egregiè eruditus:
Lutetiæ Parisiorum Magister bonarum
artium salutatus:
Quas multïs dehinc annis Viennæ Austriæ,
Cracouiæ, Ingolstadij publicè priva-
timque professus:
Neque ita multò pòst Illustr. Boiariæ Principum
Ludouici & Ernesti doctor constitutus:
Quo ipse munere cum laude defunctus, quum
historiæ scribendæ studio flaga-
ret mirificè:
PerInstratis Germaniæ ferè totius, ac præcipuè
Boiariæ monimentis, & bibliothecis:
Magni vir laboris, summæque industriæ,
ac lectionis planè reconditæ:
Annalium relicto post se opere absolutissimo:
Satur æui, satur gloriæ:
Obijt Ratisponæ V. Eid. Ianuar. an. M.D.XXXIII.
Aet. LXVIII. in æde D. Heymerani sepnltus.

FR. RAPHELENGII.

Scripsit Aventinus linguæ primordia Græcæ,
Ac patriæ annales, historiamq; suæ.
Multa etiam cæcis quæ sunt suppressa tenebris:
Hæc quorum tibi sit, Lector, imago loco.

IN IOANNEM AVENTINVM Historicum.

N. REVSNERI.

Seu lux est tibi Iuliana nona
Iani, seu tibi Martiana sacra,
Martyr vtraq; digna visa Christo:
Fatalis tibi lux diserte quondam
Auentine fuit: paterna tellus
Cui Baiaria debet omne vitæ
Lumen: nam decus omne solus ille
Boijs restituit suis libellis:
Gentis historicus suæ fidelis:
Cuius fama per omne viuet æuum.

HIERON. TREVTLERI.

Lumen Auentinus Boiorum, laudibus ornat,
Quaq; potest Boios arte beare, beat.
O benè collubitum patriam vehit ille labore:
Illa decore pium tollit & auget opus.

GEORGII CALAMINI.

Aventinus in hac quiescit vrna,
Boiorum decus, artiumq; splendor,
Et doctor quoque Principum suorum.
Natus qui nisi patriæ fuisset
Non tam patria lauda iam vigeret,
Nunc annalibus illa tam politis
Oras Teutonis inter vna fulget.
Nec tam patria dat viro nitorem:
Ipsi quàm patriæ vir est honori.

HVLDRICHVS ZASIVS Iuriſconſultus.



Tam Sophiæ Zaſius, quàm Iuris doctor in arte
Sum bonus: hoc paßim fama ſuſurrat anus.

M. D. XXXV.

HVLDRICVS ZASIVS CON-
ſtantiæ vrbe imperiali natus, Anno
M.CCCCLXI:
Suorum temporum Iurecos. toto orbe
celeberrimus:
Primò Conſtantiæ in patriâ, dein Friburgi
Briſg. Curiæ Præfectus:
Pòſt Iuris vtriusque Doctorum cooptatus
in Collegium:
In quo ipſe interpretando, non viva ſolùm voce,
ſed & præclarè ſcriptis Commentarijs quàm
plurimis: ac prætereà de Iure reſpon-
dendo, maximam ſibi auctori-
tatem & gloriam paſsim
comparauit:
Academiæ & Reipub. Friburg. ornamen-
tum ſingulare:
Multis de eâ nominibus, ac præſertim inſtanran-
do Inre Municipali benè meritus:
Conceſsit Naturæ annum agens LXXIIII.
VIII. KL. XBR. Anno M.D.XXXV.

ETEOSTICHON.

Ioſephi à Pinu.

Aetheris ut ſuperæ ſucceſſit Zaſius arci:
Eôs armigeri conſpicit aſtra Iouis.

Sebaſt. Scheferi.

Iuris honorati Zaſius celeberrimus auctor,
A nece correptus, Terra valeto, ſonat.

IN VDALRICVM ZASIVM IVrecos. Epigrammata.

CONRADI CELTIS.

Zasi Friburgi non minimum decus,
Quà læta surgit Priscia collibus:
Qui vite amicti, nec remotam
Herciniam speculantur atram,
Te Phoebus alto pectore possidet:
Qui culta profers carmina barbito,
Et vatibus cunctis amicus,
Quos rigat amne strepente Rhenus.
Tu Iura nobis optima proferes.
Leges reformans, & veterum bonos
Mores reduces cum seuero
Omnia pacificans honore.

NICOLAI FREIGII.

Quàm pressim doctâ depictus Zasius arte est:
Tam legis ingenium cane capille virens.

IO. THOMAE FREIGII.

Corpore crassus eras: sed mentis acumine Zasi
In summo sacri vertice Iuris eras.

IOANNIS FICHARDI.

Arduum iactant velut Alciatum
Galliæ: iactat Marium superba
Roma: Germanis ita regnat vnus
Zasius oris.
Zasius clarum iubar ille legum:
Zasius linguæ decus & Latinæ:
Zasius præstans studijs quibusuis
Inclytus heros.

RICHARDI SBRVLII FOROIVLANI.

Quid sequeris balbos, pubes Germana, magistros,
Quum sit natali turba diserta solo?
Quid tibi cum Scythicis, proles genrosa, colonis?
Quum tua Romanos patria fortis alat.
Ah pudeat tristes luci præferre tenebras:
Ah pudeat Glaucam præ sue nolle deam.
Vt sileam multos, tibi Zasius optima tradit
Quæque: decem tabulas explicat ille virûm.
Somnia non vobis, folium legit ille Sibyllæ:
Tullius eloquio, legibus ille Solon.
Quid plus eloquio? quid vos plus legibus ornet?
Hæc duo præcipuè quemque beare volent.
Zasius & calamo vos, & sermone iuuabit:
Siue domi cupitis vivere, siue foris.

GERVASII SOPHERI.

Nestoreos viuat Zasius ter maximus annos:
Cæsarei Iuris quo duce castra vigent.
Asserit à cæcâ Phoebus caligine terras:
Legales tenebras lux Zasiana fugat.
Noxia pallentis mundo deliquia Solis:
Deficit hic legúm Sol grauiore malo,

MATTHAEI GRIBALDI.

Doctus maximè, & optimè disertus
Leges restituit suo hic nitori,

AEG. PERIANDRI.

Candor Iuris, amor nouem dearum:
Versu blandulus ac decorus: ingens
Phoebi gloria: lux politioris
Aetatis, simul & decus futuræ.

HIERO. TREVTLERI.

Zasius ille Themin nobis qui reddidit arte,
Iudicio, scriptis, dexteritate potens:
Ni modò morte Themin nostro rursum auferat orbi,
Aequiùs omniscij fata ferenda viri.

ANDREAE ALCIATI.

'on te mors rapuit, neq; virtus interit vnquàm:
Sed tua viuit adhuc gloria, viuit honos.
'am te Acræa senem eripuit, cœloq́; locauit:
Vt superûm assessor nunc quoq; iura colas.

N. FREIGII.

asius hîc fatis, æternùm nomine notus,
Condor, & id donis Iustiniane tuis.
iximus: at victum licet, ad metam usq; recursam
Posteritas lato nos tamen orbe canet.
uisquis eris nostri non immemor ergo, supremum
In cineres nostrôs dicito dulce vale.

VVOLFGANGI HVNGERI.

arbariæ sacras leges Astræa videbat
Vndique compleri, & nexibus immodicis:
'ate, ait, i Zasi vindex: hic pluribus annis
Luctatus, monstrum victor vtrumq; domat.
ictorem cœlo mater relocauit, & omni
Europâ æternum fecit habere decus.
utre sui corpus Legislatoris humantes
Hoc grati ciues composuêre loco.

EIVSDEM.

'asius hîc situs est, cuius schola Iureperitos
Tot dedit, armatos Tros quot equus Danaos.

BERCHTHOLDVS HALLERVS
Theologus.



Me docet Agrippina Colonia: Berna docentem
Audijt hinc veri cœlica verba Dei.

M. D. XXXVI.

BERCHTHOLDVS HALLERVS Helvetius, anno M. CCCCXCII. natus,

Magni vir ingenij, magnæque induſtriæ:

Præter cæteras Germaniæ Academias.

Coloniæ Agrippinæ ſtudijs inprimis delectatus:

Primâ in Theologia laureola ab ea donatus:

Pòſt in patriam reverſns, Bernæ primò Canonicus, deinde Concionator electus:

Colloquio de religione habito publico Badenis bis cum Pontificijs doctoribus Eccio & Coldio:


Primus Evangelicæ doctrinæ in patria amplectendæ ſuaſor & perſuaſor,

Cum Huldricho Zvvinglio collega:


Repub. Chriſtiana conſtituta.

Magno ſui deſiderio omnibus relicto.

Præmatura morte obijt, anno Aetatis XLIIII. P. S. M. D. XXXVI.



DESIDERIVS ERASMVS Roterodamus.



Quid Batauos rides? Batauus ſum magnus Eraſmus:
Magnus & ingenio, magnus & eloquio.

M. D. XXXVI.

)ESIDERIVS ERASMVS ROTERO-damus Batauus, natus anno M. CCCCLXV.

ıb Alexandro Hegio doctore primis ſtudiorum
Dauentriæ poſitis rudimentis:
Colophone dein Lovanij, & Cantabrigiæ, &
Bononiæ feliciter his impoſito:
Sac. Theol. Doctor Taurini creatus:
)b incomparabilem in omni diſciplinarum ge-
nere eruditionem, & inexhauſtam ingenij
vbertatem, pari coniunctam elo-
quentiâ & prudentiâ:
)uam immortalem ſibi editis lucubrationibus
innumeris comparavit, ijs tantiſper, dum
orbis ſtabit, ſuperfnturus, ac eruditis
vbique gentium collocuturus:
A ſummis Pontificib. Cæſarib. Regib. atque
Principibus orbis Chriſtiani ſummè
expetitus, atque honoratus:
Phoenix Germaniæ:
Omnibus modis vir maximus: & ob ingenij
morumque ſuauitatem verè ἐράσμιος,
ac planè potiùs Deſiderius:
)bijt Septuagenarius Baſileæ, cuius ille hoſpi-
tio vrbis inprimis maturâ ætate
delectatus fuerat:
Anno M. D. XXXVI. Eid. Iul.

IN DESID. ERASMVM Roterodamum.

EPIGRMMATA.

ANONYMI.

Roterodama mihi tellus, natalis origo:
Non postremi inter Batavas hinc nominis vrbes:
Me celebrant clarum famæ præconia magnæ:
Barbaries per me cessit quòd finibus exul:
Diuinis dederim quòd lucem rebus amoenam,
Et Latij imbuerim linguas sermonis honore.

O. M. S.

Eximij famam celebrem quis nescit Erasmi?
Teutona quo tellus ciue superba fuit.
Cui viuo triplicis manabant flumina linguæ:
Cum docto poterat qui Cicerone loqui:
Illius est studio studijs sua reddita rursus
Gloria, quæ cœto mersa fuêre diu.
Plurima de rebus magnis monimenta reliquit:
In toto Aonius quæ legit orbe chorus.
Illius hæc vultus monstrat tibi charta: sed ipsos
De doctâ meliùs consule mente libros.

EVRICII. CORDI.

Seu sit hic Ebræus, seu Græcus, siue Latinus:
Tot linguas vno (quis putet?) ore sonat.

EIVSDEM.

Quando nouas docto laudes conarer Erasmo:
Ridens auriculam traxit Apollo mihi.
Et quid, ait, tentas? tua plectra misselle reconde:
Aoniam supra vir volat ille chelyn.
Nulla isti scintilla potest dare lumina Soli:
Omnia qui radijs lustrat opaca suis.
Arduus adiectâ micâ non surgit Olympus:
Paruula tam pandum nec mare gutta iuuat.
Hunc sua iam pridem vexit super æthera virtus:
Liuida seu nolit, seu velit inuidia.

GILBERTI DVCHERI.

Debent multa tibi linguæ Græca atque Latina:
Illustres operâ, conspicuæque tuâ.
Debent multa tibi sacri simul atque profani
Auctores, vitæ redditi ab interitu.
Vt numero dicam, longâ quod dicere possem
Iliade, hinc debent omnia multa tibi:
Sancta redemptoris quòd Erasme ad dogmata Christi
Verum iter humanis omnibus esse studes.

HIERON. TREVTLERI.

Græcia cum Latio Batavis concedite palmam:
Nec quis erat vobis qualis Erasmus erat.
Quem quantum pleno quisquam laudaverit ore:
Hoc vnum potuit dicere: Erasmus erat.

IANI VITALIS.

Lubrica si tibi mens fuit, & spinosior æquo,
Ingenium certè nobile Erasme fuit.
Felix, si mistas labruscas dulcibus vuis
Prodiga desisset vinea ferre tua:
Barbarie è mediâ præclarum sidus haberent,
Et te Varronem tempora nostra suum.
Hanc tamen inscriptam his titulis posuëre columnam:
Iactura hîc laudum publica facta fuit.

IOAN. LATOMI.

Teutona terra suum quum miraretur Erasmum:
Hoc maius, potuit dicere, nil genui.
Quippe deos inter, cœlo ridente, relatum
Ipse suum dixit Iupiter esse genus.

IOAN. STIGELII.

Ingenium fueras tantum sortitus Erasme:
Vt tibi vix tulerint secula multa parem.
Multa reliquisti, sacrâ dignissima cedro:
Plura tamen poteras, & meliora dare.
Da veniam iuueni, si quid post funera sentis:
O quantum est vti munere posse Dei.

THEOD. BEZAE.

Ingens ingentem quem personat orbis Erasmum:
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cûr non totum? mirari desine Lector:
Integra nam tantum terra nec ipsa capit.

EIVSDEM.

ἥμισυ τοῦ παντὸς πλέον εἶν᾽ Ἀσκραῖος ἔειπεν.
ἥμισυ δ᾽ ὡς οἶμαι τοῦτο λογισάμενος.

C. VRSINI VEHLII.

Incipiant omnes certatim, & nomen Erasmi
Laude vehant: illis quantumuis diuite venâ
Pectus abundârit, duplicisq́; opulentia linguæ
Mânet inexhausto sermonis flumine docti:
Inferiora suâ dixisse cupidine cernes:
Quum maiora suis cantârint viribus omnes.
Plurima sunt dicenda viri monimenta: benigni
Tum mores: niueæ tùm candor, & aurea vitæ
Norma, decor, Charites, mens dædala, mellea Peithô.
Dein fortunati verè nimiumq́; Bataui
Nomine seu tanto, potiùs seu numine diuûm:
Postremò sibi Rotrodami præsignis alumno
Quàm benè præsentis Germania iusserit æui
Cedere Romanos scriptores, cedere Graios.
Ista canant, centumq́; alias per carmina laudes,
Quorum Pierius Smyrnæ calor æquat alumnum
Pegaseum manant qui nectar, & Attica mella.
Ipse autem artificem post illa tacebo secutus:
Atridæ moestos nequîjt quum pingere vultus
Nauiter, inducto texit qui cætera velo.

In obitum eiusdem.

H. EOBANI HESSI.

Eximium fato functum lugemus Erasmum:
Hoc duce qui Musis addita turba sumus.

IVLII CAES. SCALIGERI.

Tu né etiam moreris? ah quid me linquis Erasme
Antè, meus quàm sit conciliatus amor?
Tu né etiam? cui tam paruus fuit orbis, ut altæ
Expleres mentis flumina torua tuæ.
Ergo sidereis postquàm est subuecta quadrigis,
Atque Dei læto lingua recepta sinu:
Ille ego, qui insanæ ridebam vulnera mortis,
Conditaq́ue Aetnæà tela trisulca manu:
Ad quoduis stupeo momentum, ac territus asto:
Maxima quum videam numina posse mori.

IOAN. STIGELII.

Perdidit ereptum, Musarum munus, Eràsmum:
Perdidit hei quantum Teutona terra decus.
Quo moriente ferunt Clarios cessasse liquores:
Et tremuisse altis totum Helicona iugis.
Nemo roget causam, quam vesper nouit & ortus:
Cuius erit testis nescia fama mori.

IOAN. SECVNDI.

Defunctus vitâ, longiq́ue laboribus æui,
Hac situs est tandem doctus Erasmus humo:
Quem licet in serâ rapuerunt fata senectâ,
Et vita saturum sopijt alta quies:

Nos tamen hunc, velut immaturo funere raptum
Flemus, & effusis diffluimus lacrymis.
Ille igitur perijt: & quondam illa illa diserta,
Et dulci manans nectare lingua tacet:
Ingeniumq́ue sagax, & amans virtutis & æqui,
Omnia sub paruo condita sunt tumulo.
Illum igitur canos virtus lacerata capillos,
Et Charites lugent, luget & ipsa fides:
Collectasq́ue rosas Permeßi ad flumina nymphæ
Inspergunt sacro Pierides tumulo.

GILBERTI COGNATI.

Magnus Roterodamus ille noster,
Hæc quo secula neminem tulerunt
Maiorem, neque prisca clariorem
Nôrunt tempora, nec cui futura
Parem posteritas habebit: ecce
Sub hoc marmore mortuus quiescit.

VITI COPPI.

Lacrymarum, te rogo, iam siste riuulos
Viator, & dulcem quietem floribus
Orna, Sabæo tumulum flore confouens:
Vixi satis: fati peregi tempora:
Non ocio, sed duris me laboribus,
Vnus quò plurimis prodessem, subdidi.
Sic docta primùm bella geßi Palladis:

Vt me ducem mirata ſit Germania,
Suum me ſæpiùs Ciceronem dictitans:
Tandem ſacris ſum litteris immortuus.
Hac fata lege ſubire, an non eſt vivere?
Rude donari, niſi forſitan mori putas.

SIMONIS VALLAMBERI.

Hoc quanquam tumulo mortale cadauer Eraſmi
Mors claudis, id fermè eſt nihil.
Non huius virtus, ſpes, fama, ſcientia poſſunt
Claudi: quid, ô Mors, hîc habes?

DIDACI PYRRHI.

Poſtquàm importuno fato conſumptus Eraſmus
Deſijt humanâ conditione frui:
Romani periêre ſales, periêre lepores:
Et periêre omnes delitiæ, & Veneres.
Et periêre nouem decimâ cum Pallade Muſæ:
Et perijt blandis Gratia miſta iocis.
Et ſic vnius perierunt omnia morte:
O grauis, ô doctis mors lacrymanda viris.

IOAN. MORELLI.

Corpus humo, ſuperis animam, dat nomen in æuū
Rex, Pietas, Virtus ROTERODAME *tua.*

GEORGII FABRICII.

Viuentem quem vix immenſus ceperat orbis,
Clauditur exiguâ Roterodamus humo.

Non armis tantum peperit Germania laudis:
Quantum tu calamo, maxime Erasme, tuo.

IOSEPHI A PINV.

Eteostichon.

Lustra peracta vbi bis septena recenset Erasmus,
Lucifera è terris cessit in astra senex.

IOANNIS SCHOSSERI.

In Terminum Des. Erasmi Roterodami.

Termine diuorum, quo non constantiùs alter
In Capitolinâ restitit arce Ioui:
Quid facis, ut clypeo modò continearis Erasmi,
Quum tua iam pridem templa fatiget humus?
Quæq; locum summo non concessere Tonanti
Membra, ruinoso pondere terra premat?
Scilicet ut nulli superûm tua cessit imago,
Ignea nec manibus qui iacit arma Ioui:
Sic decus & clari laus immortalis Erasmi,
Non aliquem, cui nunc cedere possit, habet.
Huius enim cunctas excedit gloria metas:
Fulget & in docto non superanda choro.
Hunc velut ætherium coluit Germania numen:
Quàm Desiderij nomina iurè tenet.

78

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA Med. & IC. EQV.



Sanguine clarus Eques: Medicus Iurisq; peritus,
Et Sophus, & pariter sum Magus arte potens.

HENRICVS CORNELIVS AGRIPpa ab Netresheym.

Armatæ Militiæ eques Auratus: Iuris vtriusque & Medicinæ Doctor:

Carolo V. Cæs. Aug. à consilio & archiuis indiciarius.

INTER DIVOS *nullos non carpit Momus:*

Inter heroas monstra quoque insectatur Hercules:


Inter dæmones, Rex Herebi Pluto irascitur omnibus vmbris:

Inter Philosophos ridet omnia Democritus:
Contrà deflet cuncta Heraclitus:
Nescit quæque Pyrrhias:

Et scire se putat omnia Aristoteles: Contemnit cuncta Diogenes.

NVLLIS HIC PARCIT AGRIPPA:
Contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia,

Ipse Philosophus, dæmon, heros, Deus & omnia.



IN HENRICVM CORNELIVM Agrippam EQ. & IC.

Epigrammata.

ANONYMI.

Quem tibi subijciat spectandum hæc pagina, quæris?
Cornelius facie talis Agrippa fuit.
Ingenio quantus fuerit, quantum ore disertus,
Si vis scire, libros consule, certus eris.

HIERON. TREVTLERI.

Os tumidum, crassæq; inter vaga lumina nares,
Nec monstri absimilis tota figura tua est,
Naturæ iam si qua fides adhibenda magistris:
Ignoret fraudes ecquis Agrippa tuas?

MARII CELSI COLENTINI.

Cur siluas traxisse ferunt, cur flumina fingunt
Orphea Threicio detinuisse sono?
Tartareosq; duces fidibus mouisse canoris,
Eumenidasq; feras, tergeminumq; Canem?
Saxa Cytheronis Cadmæa in mœnia dicunt
Cur Amphioniâ sponte coisse lyrâ?
Agrippæ facunda docet te pagina lector,
Quæ posset matres flectere Strimonias.
Prætereà Oceani fluctus tibi monstrat aheno
Exiguo clausos paruulus iste labor.

M. AVRELII.

Vt tua Corneli Pallas, tuas maxima virtus
Afflat Apollineo pectus amore meum.
Non aqua, non ignis nostro sic vtilis ævo:
Vt sunt Pierij fœdera sancta gregis:

Luminibus serô sors obtulit invida nostris
Tot bona: tot nobis interiere dies.
Corrigitur dulci iactura grauissima fructu:
Est vetus à longâ mos properare morâ:
Tarda sibi validas acquirat gratia vires:
Vincamus stabili tempora prisca fide.

HILARII BERTOLPHI LEDII.

Solo nomine iam recens Agrippæ
Audito mihi, protinus per omnes
Iuro, numina sanctiora, Musas,
Vero verius esse, quod bonarum
(Sed si quis bene nôrit his abuti)
Nugarum cecinit parens Homerus:
ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ, ut inquit, ἀνδρῶν
ἔστ᾽ ἀντάξιος, addiditq́ue, πολλῶν:
Ausim his addere nunc & ipse, πάντων.
Sed quum nobilitas libens Agrippam,
Quanquàm nobilis est sat ipse per se,
Facundâ mihi buccinatione,
Atq́ue ars, cura, fides pares in illo
Certent, colligis: Ingenî genîq́ue
Si præstans, adeò boni feratur:
Ne mi secula quis vetustiora,
Nec cantet medicos diu celebres:
Hinc sint: Hippocrates abi: Machaon
Grandi cum Podalirio facessat:
Tantum non simul ô Apollinare

Hinc te numen ad Insulas beatas,
Maternam nisi mens adire Delon,
Legarem: nisi tam potens praeesses
Ex aequo medicisq; vatibusq;:
In quîs omnibus emicans Agrippa est:
Ceu tu sidera quum minora condis,
Nedum vel superat, vel aequat omnes
Modis omnibus & recentiores,
Modis omnibus & vetustiores.
Da mî secula iam recentiora,
Cerno bis medicos beatiores:
Iam Copus, Linacrus, Ruelliusq;
Adsurgent (mihi dictat haec Apollo)
Cedet mirificus Leonicenus.
Adsurges (praeit hic Apollo vati)
(Quid dicam omnia?) docte cum diserto
Cedes Symphoriane Martiano.
Cantet non Italus Leonicenum,
Non Anglus Linacrum, nec ipse Copum
(Erasmo licet audiente dicam)
Germanus, meritò licet celebres
Inprimis alios: nec ipse iactet
Gallus Campegium Ruelliumq;:
Si qui sint alij, supersedendum est,
Iis quos barbaries recondit atra,
Et damnat tenebris latebricosis:
Et damnat latebris tenebricosis.

HELIVS EOBANVS HESſus Poëta.



Rex ego ſum vatum: vatum Sol, Phœbus, Apollo:
Ieſſeæ fidicen maximus ille lyræ.

M. D. XL.

HELIVS EOBANVS HESSVS

Tragocomi in Haſſia natus anno M:CCCCLXXXVIII.

Magna vi & animi, & corporis præditus:
Francobergæ primò in patriâ optimis eruditus literis:
Ob ingenij, doctrinæ, virtutis præſtantiam omn[i]s ſtudiorum ERPHORDIAE conſecutus honores:
Quo in loco ipſe publicè privatimque docend[o] vt & NORIBERGAE, ac MARPVRGI, operam ſcholis nauauit eximiam:
Muſarum & Gratiarum Alumnus:
Poëtarum ſeculi ſui Princeps, adeoque Eoſi[...] & Rex verè nuncupatus:
Multis præclaris ingenij ſui elaboratis monimentis, in quibus, ceu gemma, eminet opus illud Pſalmorum Dauidicorum verè ſacroſanctum:
Quo vel vno ſingularem ſibi & ſpem gratiæ ac [be]nevolentiæ divinæ comparavit, & admirationem ſui, ac caritatem reliquit poſteris:
Morbo tandem conſumptus tabifico:
Obijt III. Non. Octobris: Anno M.D.XL. Aet. LII.

ETEOSTICHON.

Dicite Theſpiades fletus, Elegeia luge:
Hoc Heſſus ſaxo gloria veſtra iacet.

IN HELIVM EOBANVM Hessum Poëtam.

EPIGRAMMATA.

EVRICII CORDI.

Quisquis es, Hessiaci qui tot monumenta Poëtæ
Sub serâ quondam posteritate leges:
Non dubium est, aliquot merceris millibus, istum,
Talia qui scripsit, posse videre virum:
Scireq́ue, qui vultus illi, moresq́ue fuerunt:
Et quò tam doctos protulit ille modos.
Ecce videt præsens, auditq́ue, nec æstimat ætas,
Quanta sub afflato numina corde latent.
Nullus honor sacro, nulla est reverentia vati:
Quisque faber precium cerdoq́ue maius habet.

EIVSDEM.

Noluit à quouis Magnus pictore, sed illo
Pingi, qui tali primus in arte fuit.
Sic summum summus vatem Durere magister
Exprimis: at breuis hoc horula pendet opus.
Intereà nullum, cui cedunt omnia, tempus
Eximet, ingenio quod facit ille suo.

EIVSDEM.

Vidit ut horrentem barbâ sacra Pieris Hessum:
Plus, ait, hoc Getici cultor es ore Dei.
Me tamen hirta nihil vultus truculentia terret:
Quæ sequor ingenium, respicioq́ue tuum.

EIVSDEM.

Qui ſemel Heßiaci perſpexeris ora Poëtæ:
Non cuius quæres hæc ſit imago viri.

IACOBI MICYLLI.

Heßi Poëtæ ſi quis effigiem cupis
Veræq́; vitæ cernere aliquam imaginem:
Saltem illius licet legas epiſtolas,
Quietis & ſecretiorum interpretes.
Nam nullius ita faciem Apelles pinxerit,
Aut ora ſpeculum obuerſa ſic retrò refert:
Vt certa mentis eſt imago oratio.

ANONYMI.

Qui fuerit vati vultus, dum viueret, Heſſo:
Expreßit tabulis ingenioſa manus.
Magnum opus ingenij magno celebratur in orbe:
Quo meliùs mentem pingere nemo poteſt.

IOANNIS STIGELII.

Hæc eſt Heßiaci grauitas non improba vatis:
Vtraque quem notum regia Solis habet.
Quem ſtupet Elyſijs cantantem Naſo ſub vndis:
Cui dolet Andinum numen ineſſe Maro:
Itala quod debet tam multis terra Poëtis:
Hoc debes Heſſo Teutona terra tuo.

HIER. TREVTLERI.

Hunc niſi iam nôris celebratum carmine vatem,
Conſule Ieſſææ fila Latina lyræ.
Vt quis fortè pium vario nunc ſyrmate cœptum
Ringat, amo ſtudium: primus at Heſſe manes.

Libri pictura ingenij.

IOAN. LAVTERBACHII.

Pictura mentis è libellis noſcitur.

Rex inter vates Germanos Heſſus, honeſtum
Cui magno Phœbus nomen honore dedit:
Simmichiden voluit Latio ſermone Poëtam
Qui cum Germanis, Mæonideq́ꝫ loqui.
Corporis et vultus docet hac in imagine formam:
Artificis pinxit quem tibi docta manus.
Mentis & ingenij gaudes cognoſcere formam?
Ars dare pictoris quam tibi nulla poteſt:
Paſtores, ſiluæ, Pſaltes, Heroides, arma,
Heſſus quæ Nicro victor ab amne tulit:
Icones, elegi, præcepta ſalubria, threni,
Simmihides, Salomon, Mæonidesq́ꝫ dabunt.
Ingenij melior non eſt pictura libellis:
Ingenij è libris forma cuique patet.

In eiuſdem tumulum.

IACOBI MICYLLI.

Quid ſtas, Viator? aut quid hîc circumſpicis?
Tumnlúmne vatis Heßici?
Cui noſtra ſimilem ætas virum nullum tulit,
Nec fors futura vnquàm feret.
Tumulum quidem vides, vbi oſſa condita,
Cinerisq́ꝫ relliquiæ iacent:

Sed mens supremum propter aßidet Patrem,
Cui soli hîc operatus fuit:
Vbi intuetur, quantum vbique gentium est,
Famæ receptaclum suæ.

IOAN. STIGELII.

Helius è viuis Eobanus ut exijt Hessus.
Pierius siccis aruit amnis aquis:
Flumina fuderunt oculis manantia Musæ:
Fleuit & abiectâ mœstus Apollo lyrâ.
At Deus hunc rapuit terris, cœloq; locauit,
Cantet ut in Christi carmina blanda sinu.
Donec erunt Musæ, dum voluet sidera cœlum:
Carmine victuro nobilis Hessus erit.

GEORGII FABRICII.

Hoc Eobane iaces tumulo: doctrina per orbem est
Nobilis. ô sacri fulgida gemma chori.
Multa tibi debent artes, & plurima linguæ:
Et tibi de Libani vertice palma venit.
Isaidæ iunctus, plectro modularis eburno:
Quæq; carent, reicis carmina, laude Dei.

ADAMI SIBERI.

Cuius et vnde venit mihi vox tam dulcis ad aures?
An docta ad tumulum Calliopea canit?
Helius hîc vates Eobanus conditur Hessus:
Non minor ingenio, Naso Poëta, tuo.
Delius hunc luxit: tristes luxêre sorores:
Ardua Pimplæi quæ iuga fontis amant.

Ipſe Meduſæi quem præpetis vngula fecit,
Deſtituit liquidas aridus amnis aquas.
Abſtulit hinc illum Chriſtus, cœloq́ recepit:
Ieſſæisq́ pium vatibus inſeruit:
Sorte ſuâ felix vbi, quem dum vita maneret
Cantabat, fruitur nunc propiore Deo:
Sub pedibusq́ ſuam cernit, ſua carmina, famam,
Tempore non vllo deperitura, legi.
Nam venit ingenio quæ laus, eſt ſola perennis:
Carmine quæſitum ſtat ſine morte decus.
Calliopæa refert hæc. ô cariſsime ſalue,
Gemmatoq́ vale digne cinis loculo.

IOACHIMI CAMERARII.


Hîc ſitus eſt Heſſus, patriâ tellure receptus:
Quò rediit Domino ſe reuocante ſoli.
Dum circùm huc illucq́ vagus fert ſeq́ domumq́:
Quærit & Aonio præmia digna choro:
Nonnihil ille quidem reperit: ſed præmia Muſis
Huius nulla ſatis digna fuere viri.
Nec potuère dari, neq́ ſecula noſtra tulerunt
Tantum, ætas Heſſum noſſet ut iſta, boni.
Gloria ſera venit meritis, poſt fata ſuperſtes:
Inq́ dies melior fama ſepulta redit.
Et tamen ipſe ſuæ cognouit nomina laudis,
Audiit & tempus ſe celebrare ſuum:
Cepit & ingenii de fructu commoda viuus:
Virtutisq́ ſuæ creſcere vidit opus.

Sed maiora ferunt insignia scilicet anni:
Viuentis cedens quos abit ante decus:
Illi etiam eximiæ famæ præconia mundus
Hesso, donec erit splendidiora ferent.
Hoc satis est. Hesi busto sepelitur in isto
Corpus: in æthereâ spiritus arce manet:
Per terras bona fama volat, speciosaq́; laudis
Nomina, Pieriâ testificata manu.

IOAN. SCHOSSERI.

Desine vocales iactare Cayster olores:
Desine, Mantoâ qui fluis amnis humo:
Desine qui Phrygijs erras Mæander in oris:
Debilis in vestro flumine cantat olor.
Argutum tenuêre magis Pegnesus, & vndæ,
Quas Lanus Hassiaci torquet in arua soli.
Nec non Tyrigetûm nymphis adamatus Hieras:
Nobile Gymnasium cuius ad antra iacet.
Non vnâ contentus aquâ resonabilis ales,
In vario dulces ediuit amne sonos.
Dum Danaûm Latiâ memorauit prælia voce,
Prælia Dardanio perniciosa duci.
Dum caput attollens ad lucida sidera cœli
Diuinum sacro prodidit ore melos.
Nunc etiam superûm cœlesti sede receptus,
Cantat Iessææ consona verba lyræ:
Inter & aligeros cœtus diuina canentes
Obtinet inflexi gutturis arte locum.

IOANNES LVDOVICVS VIVES
Philoſophus.



Per me, quam docui, Sapientia viuit: in illâ
Aeternum VIVIS viuit in orbe decus.

M. D. XL.

IOANNES LVDOVICVS VIves Valentinus, natione Hiſpanus:

Sapientiæ illius veræ, non humanæ ſolùm, verùm etiam diuinæ in omni vità ſtudioſiſsimus:

Quam & ſummâ cum laude eloquentiæ & virtutis plurimùm illuſtrauit, lucubrationibus de eâ editis, & doctè prorſus, & accuratè conſcriptis:

Probatus vir induſtriâ, patientiâ, labore, animi magnitudine:

Cuius immortalis famæ gloria, ïdque meritò, quo ad ſapientiæ cultum, in omne ævum viuet perpetuò:

Magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto:

Obijt Brugis Flandrorum, Anno M. D. XLI.

GEORGII FABRICII.

Iudicio VIVES, ſermonis flumine Eraſmus,
Doctrinæ primas laude Budæus habet.

IN IOAN. LVDOVICVM VIVEM Valentinum Philoſophum.

EPIGRAMMATA.

ANONYMI.

Fortè puer latebris maternæ vbi prodijt alui,
Viues Puer, ceciniſſe olor Phœbo ſacer
Dicitur: haud caſſo fatus ſic omine. Viuis
Nam clara fama vivet æternùm: Tethyn
Dum ſalſam auriferis vndis augebit Iberus.
Sapientiæ præcepta peruiuent tuæ.

Perennat eruditio.

IOANNIS LAVTERBACHII.

Viuit ſuperſtes eruditus in libris.

Hiſpanæ Viues clariſſima gloria gentis,
Aonij Viues famaque luxq́ꝫ chori:
Multa reliquiſti poſtquàm monumenta ſuperſtes,
Ingenij multo parta labore tui:
Viuis, venturos vitæq́ꝫ ſuperſtes in annos
Excultis viues clarus honore libris.
Viue diu, Viues, vitale ſuperſtes in æuum,
Ingenij viuunt dum monumenta tui.
Non moritur, vita viuit præſente ſuperſtes
Ingenij viuus per monumenta ſui.

IOAN. LVDOVICI VIVIS
Tumulus.

Hoc tegitur Viues tumulo, ſubſiſte Viator:
Et preſſo pacis verba precare gradu.
Quin etiam coſtum, violas & thuris honores,
VIVI da promptâ debita dona manu.
Qui dum ſic verbis rebusq́; exornat ad vnguem:
Per non tentatas maxima quæque vias.
Noſtra ætas vincit veteres, atque omnibus illis
Viuem, quem contrà ponere poſsit, habet.



Parca ferox Viui vellet dum ſcindere filum:
Hos capiti aſsiſtens edidit ore ſonos:
Corpore ſoluam: tua ſed monimenta manebunt:
Namque horum potui iuris habere nihil.




Quis iacet hic? Viues: heu heu fata aſpera, tantum
De tanto his etiam ſumere Viue licet.



Doctrinæ columen, decusq́; vitæ
Viuem, ne tumulo hoc puta Viator
Condi, ſed tenues ſoli fauillas.
Nam non mors violenta, non edaces
Ignes: non ſeries vetuſta ſecli,
Non vires chalybis licet potentis,
Non fluctus pelagi licet ferocis,
De vitâ poterunt tuliſſe Viuem,
Doctrinæ columen decusq́; vitæ.

GVILIELMVS BVDAEVS IVRECOS. Consil. Regius.



Sol vtriusque vocor linguæ Græcæ atque Latinæ;
Haud satis hoc, Iuris Sol vtriusque vocor.

M. D. XL.

GVILIELMVS BVDAEVS LV-
tetiæ Parisiorum, celebri literarum
domicilio natus, & edu-
catus:
Cùm Græcæ, tùm Latinæ linguæ cognitione,
omnium non modò Galliæ, sed totius
etiam Europæ longè erudi-
tißimus:
Ciuilis inprimis sapientiæ & Iurisprudentiæ
laude celeberrimus:
Senator Regius, supplicumque in Regia
Libellorum Magister:
Quum perennem spectaret laudem, & rei famili
ris fortunas, honoresque aulicos, ingenio
suo, & speratâ gloriâ multò ar-
bitraretur viliores:
Sexaginta ampliùs annis in ocio literario
consumptis:
Ita vt summæ eruditionis libro de Asse, alteroq;
in Pandectas edito, ac infinitâ demũ lectione cc
fectis Commentarijs vtriusque Linguæ, nul
li communicatâ laude, æquales omnes
doctrinæ auctoritate su-
peraret:
Morum prætereà sanctimoniâ, & vitæ incul-
patæ insignis innocentiâ:
Piè tranquilleque vitâ excedens, abdicatis tes
mento priùs omnibus prorsus fune-
ris & tumuli honoribus:
Fato functus est, noctuque tumulatus, Annc
M. D. XL. Aet. LXXIII. D. XXII. Augusti.

IN GVILIELMVM BVDAEVM Iurecos. & Consil. Regium.

Epigrammata.

IANI VITALIS.

Qui sanctum simul, & simul disertum
Exquiris sapientiæ magistrum;
Vltrà quid petis? hîc iacet Budæus.

IOAN. LATOMI.

Budæus columen decusq́ Graiûm:
Budæus Latiæ corona linguæ:
Budæus dubij lucerna iuris:
Budæus pater elegantiarum,
Et fons totius eruditionis:
Budæus patriæ iubar coruscum,
Regis delicium sui, suæq́
Tempestatis honos, lepos, voluptas:
Hîc terræ exuuias reliquit, orbi
Famam, astris animam. Viator, ito.

M. SALMONII.

Budæus voluit mediâ de nocte sepulcro
Inferri, & nullas prorsus adesse faces.
Haud factum ratione caret: clarissima quando
Ipse sibi lampas, luxq́ corusca fuit.

MATTHAEI GRIBALDI.

Budæus, pater elegantiarum,
Ne Galli inuideant, facit, Latinis.

Gallia, disce bonas artes, queîs Graius abundat:
Hic Græcè est per quem tu doceare loqui.

THEOD. BEZAE.

ὅστις Βουδαῖον γλώσσης ὀνομάσατο φοῖβον
ἀμφοτέρας, ὀρθῶς φοῖβον ἔειπε μάλα.
ἄξια δ' οὐκ εἶπεν. μείζων γάρ γ' ἠελίοιο,
ὃς θνητοῖσι φάος καὶ καταδὺς παρέχει.


IACOBI MICYLLI.

Maximus heu fato rapitur Budæus iniquo:
Budæus patriæ gloria summa suæ
Cui similem toto vidit nec Sequana regno:
Nec Rhodanus quantis circuit arua vadis.
Scilicet Argolicæ pot efecit hic atria linguæ:
Omniaq́ꝫ à proprijs fontibus hausta dedit.

IOSEPHI à PINV
Eteostichon.

Occubuit clarus fato Budæus iniquo,
Astræa in castæ Sole sedente sinu.

THEOPHRASTVS PARACELSVS Medicus.



Inuentum Medicina meum Paracelſica: myſten
Me quoque ſacrorum tot ſacra ſcripta probant.

M. D. XLI.

AVREOLVS PHILIPPVS THEO
phraſtus Paracelſus, natus anno
M.CCCC.XCIII.

Medicinæ vtriusque Doctor inclytus:

Quam Baſileæ annis aliquot publico ſtipendio
maximâ cum admiratione profeſſus eſt:

Primus Novæ ac Spagiricæ auctor Medicinæ:

Quam Archidoxis Theophraſtiæ, alijsque libris
editis propemodùm infinitis, longè la-
teque diſſeminauit:

Qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hy-
dropiſin, aliaque inſanabilia corporis
contagia, arte ſuſtulit mirificâ:

Quin & Commentarijs in ſacros libros, & præ-
terea quibusdam dogmaticis, poſt ſe re-
lictis paſsim cognitus:

Eremiticæ Sectator vitæ:

Suus, quàm alterius, eſſe deſiderans:

Quum bona ſua in pauperes diſtribuenda col-
locandaque ordinaſſet:

Fine optato, annos natus XLVII. vitam cum
morte commutauit: Anno Chriſti
M. D. XLI. Septembris
die XXIIII.

IN THEOPHRASTVM PARACELſum Medicum.

EPIGRAMMATA.

Anonymi.

Corpore talis erat Theophraſtus is alter Apollo:
Haud feret Appelles, pectore qualis erat.
Ipſe lepram, phtiſin, podagram, hydropen abſtulit: ipſe
Hermes ceu, dium fundere nouit Aſoth.
Doctor doctorum doctiſsimus, arte medendi,
Qualibet ac Sophiâ, quam Philotechne colis:
Hunc relege, & normas Paracelſi cum Paramiro
Diſce: eris hinc omni tutus ab interitu.
Nunc cape per canones Theophraſtum cum Paragrano:
Erronum næuos non imitare tetros.
Hunc ſequere, & nugas Galeni cum Microtechna,
Et Labyrinthæis linque relinque libris.
Hunc Lyra mireris, Ptolemæe hunc, hunc Stagirita,
Bartole ſiue legas, ſiue Auicenna legas.
Huic adpicta vides, noſtro benè congrua ſeclo,
Fatidico quondam quæ dedit ipſe ſono.
Ecce ſiniſter ibi Doctorculus orbus ocello eſt,
Gemmam aurumq́ gerens, hunc quoq; vincla gerunt.
A dextris Medicos Rediuiue librosq́; ſchedasq́;
Tam laceras propter dogmata manca ſtupes.
Poſt inſigne notat tacito multa abdita ſenſu:
Per duplicem mundi ſphærulam, & octo cruces.

Orbibus affixos flores perpende sacratos:
Cur trifida in medio cœlica gemma nitet?
Ad latus omne pias cernis, dicta aurea, voces:
Perpetuò has viuens pectore & ore tulit.
Hoc duce Naturam atq; Deum sectabimur vuos
Doctores, animum non vagabunde tuum.
A Ioue principium, medium, finem quoq; duxit:
Commisit soli seq; suosq; Deo.
Directam ipse suis sacra Biblia fixit amussim
Scriptis: quæ mentis sint monimenta piæ:
Sub quorum æthereos perspexit cortice fructus:
Qui fructus oculos non latuëre suos.
Deniq; Naturæ penetralia nouit alumnæ:
Quod de Alazothe, Sale & Sulphure cuncta creat.
Quatuor hinc doctâ benè condidit arte Columnas.
Omnibus has posuit, saxea fulcra, Sophis:
Singula quò scitu iucunda & commoda nobis
Non dubiâ fierent obuia plana fide.
Pharmaca nulla fide, sed sensu vera probauit:
Etsi animæ constet speq; fideq; salus.
Fidus enim à morbis populosq; ducesq; Machaon
Ipse Machaoniâ sæpè leuauit ope.
Quid moror? hic doctus, verax, minimeq; superbus
Pauperibus gratam ferre paratus opem:
Candidus & iustus, tùm castis moribus, almæ
Integrum vitæ ritè peregit iter.
Ergo vipereo Theophrastomastiges ore
Innocuum nocui ne lacerate virum.

Lumine pro tanto, Medico sit gratia summo:
Ingenio ꝰ similes det Theophraste tuo.

THEOPHRASTVS PARAcelsus veritatis Amatori.

Ille ego qui tantas infracto pectore curas,
Aerumnas, casusq́; graues, durosq́; labores
Exhausi, & crebro vigilatas ordine noctes,
Insanos æstus, immanis frigora Brumæ,
Insidias, structosq́; dolos, & fœta periclis
Retia sustinui, dirisq́; imbuta venenis:
Quum terras omnes, & quum maria omnia circū
Ignotas repetens calles, ignota viarum
Compita, præruptosq́; aditus, imosq́; recessus
Lustrarem, patrio latè seclusus ab ORBE:
Vt generi humano, totiq́; ut sedulus orbi
Prodessem, leprasq́; graues, dirasq́; podagras,
Herculeamq́; hydram, ac tetræ contagia pestis
Hydropisq́; almâ frenarem monstra medelâ:
Ille ego, cui Magni mysteria cognita Mundi,
Tectaq́; qui densis Naturæ Arcana tenebris
Ante oculos, ante ora hominum cernenda locaui:
Terreno terras erumpens vase reliqui,
Aethereas repetens arces, sacrataq́; templa,

Hîc vbi dijs mistus cœlesti perfruor aula:
Intereà & terris animi monimenta reliqui
(Thesaurum ingentem) nostrũ testantia nomen:
Quin etiam illustri clarum de lumine lumen
Accendi, radios totum quod spargat in orbem:
Cernere quò possent, quantis erroribus acti
Mortales, alto fuscarint lumina somno:
Hæc sunt, quæ terræ (sic dijs mandantibus) ipse
Munera discedens dederam: pro munere rursus
Quid tribuunt Roades, ingratæ pondera terræ.
Surgentem infesti tentant extinguere famam,
Deformi ut lacerent augustum vulnere nomen,
Ah immane scelus: nostris non Manibus illi,
Nec sacro parcunt cineri, extinctisq́; fauillis:
Lurida virosæ reuomunt conuitia linguæ:
Et rapti furijs, Lethen, Erebumq́;, Stygemq́;,
Tergeminamq́; sonant Hecaten, diramq́; Megæram:
Atque alias in me medijs in faucibus Orci
Vltrices acuunt, toto conamine, belluas:
Flectere dum nequeunt superos, Acheronta fatigant.
Sed misera incassum luctatur turba: cerebrum
Inuida nequicquam tenues consumet in auras:
Fata obstànt, altiq́; Iouis veneranda voluntas.
Sunt semel informes disiecti sede Gigantes:
Tetraq́; fulmineâ traiecit corpora flammâ
Flammiger Idacides: iacet æternumq́; iacebit
Obrutus Enceladus, vasti qui pondere montis
Aestuat, & patulis exspirat faucibus ignes.

Quid pergis vires vltra? quid mœnia VERI
Ardua, ſublimemq́; arcum, firmasq́; columnas,
Tam leuibus pilis, tam fractis concutis armis,
Quisquis es, & noſtro tantum te opponis honori?
Parce precor miles tibi tu molliſsime parce:
Si quæris fragili deformem illidere dentem,
Infringes ſolido, propriâ deluſus ab arte.
Quin nec ſola mei pugnant monimenta laboris,
Nec ſola in terris, nullis ducentibus, errant:
Sed tuta incedunt validis ſtipata cateruis.
Ecce etenim ſurgit præclaris ſedibus ortum,
Heroum genus, æterni Iouis alta propago:
Quod nomen famamq́; meam, laudemq́;, decusq́;
Hactenus oppreſſum, totum diffundet in orbem:
Diuitis ingenij ſacrisq́; tuebitur armis,
Inſanos morſus contra ſtimulosq́; furentes:
Hoc celſum celſâ Paracelſum ſede locabit,
Nomina perpetuis ornatûm clara triumphis.
Nec procul iſta dies: videò ſurgentis Eoo
Claros Luciferi radios albeſcere cœlo.

PETRI MORELLI.


Ἑλλὰς ἐσαθρήσασα Θεοφράστου Παρακέλσου
    Εἰκόνα, τῆς φύσεως φράζεό μοι πρόπολον,
Καὶ παλαιῶν δὲ χρόνων μυστὰς κορύφωσον, Ἀθήνης,
    Εὕρησεις τ' ἀναμὶξ εἰν ἑνὶ πάντας ἐμέν.

Τοὔνεκεν, Ἑλλάς, ἔχε στόμα φιμόν. ὑπερβόρεός σοι
    ἀντ' Ἀναχάρσιδος ὢν ἀντιπελαργεῖ ὅδε.
Τοῦδε μάθοις βιβλίοις γαίης κευθμῶνας ὀρύττειν,
    Καὶ ψίδος οὐρανίης εἰσαναβῆναι ὄρη.
Τοῦδε μάθοις βιβλίοις φύσεως ζωαρκέα δῶρα,
    ὄφρ' ἐνάριθμιος ᾖς μακροβίων συνόδῳ.
Τοῦδε κ' ἐφημοσύνῃ, πινυτῷ τ' ἀποφθέγματι πιθείς,
    ἢν σὸς ἔμεν δύνῃαι, μὴ ἔσο ἀλλότριος.

GILLII PINAVTII.

Græcia naturæ nunc contemplare ministrum,
Quum Paracelsæam conspicis effigiem.
Priscâ ætate tuam quotquot coluere Minervam
Græci: Germanus continet vnus homo.
Alter Hyperboreâ hic Anacharsis prodijt orâ:
Ingenio Argivas qui tibi pensat opes.
Illius è scriptis scrutari viscera terræ,
Excelsiq; potes scandere templa poli.
Sicq; maritare huic terræ cælestia dona,
Vt possis longos enumerare dies.
Illius & dicto si non parêre recuses:
Alterius ne sis, qui tuus esse potes.

SIMON GRYNAEVS PHILOS. & Theologus Basiliensis.



Quàm pius & doctus, tam suauis moribus exsto:
Mente probus, vitâ sanctus, honore grauis.

M. D. XLI.

SIMON GRYNAEVS FERINGAE SVI
uiæ oppido natus auno M.CCCC: XCIII.

In quo modeſtia, & morum ſuauitas ſingularis
cum pietatis & diſciplinarum omnium
exactâ cognitione certauit:
Magni illius Melanthonis in ſcholâ Portæ
Herciniæ condiſcipulus:
Philoſophiæ Magiſter Viennæ Auſtriæ nuncupatu
Modis omnibus vir & laude, & memoriâ, ob lin-
guæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ peritiam, omnis-
queͤ Philoſophiæ ad miraculum vſque cogni-
tionem: & ob Theologiæ veræ ſcientiam
& vſum, digniſsimus ſempiternâ:
Quas ipſe doctrinas paſsim in Academijs Vien-
næ, Vitebergæ, Heidelbergæ, Baſileæ multis
annis publicè priuatimque profeſſus eſt:
Multis egregiè Latinis & Græcis auctoribus
ſuo nitori & lumini reſtitutis:
Sibi ipſe quidem ſatis longæuus: licet vigente ad-
huc ætate mortuus: vtpote cui nihil ampliùs,
quod diſceret, ſupereſſe videretur:
Cæteris verò intempeſtiuè nimium ereptus,
quos ſcilicet, quò plura didicerat, eò do-
cere plura, vir iuuandis aliorum ſtu-
dijs natus, potuiſſet:
Obijt Baſileæ ex peſte, Cal. Auguſti, anno
M.D.XLI. Aet. XLVIII.

IN SIMONEM GRYNAEVM
Theol. & Philoſ.

EPIGRMMATA.

THEOD. BEZAE.

Te quicunque Simon Grynæe aſpexit, amauit:
Splenduit in vultu gratia tanta tuo.
Te quicunque Simon Grynæe audiuit, amauit:
Facundo fluxit tantus ab ore lepos.
Ampliùs at cur non audire & cernere fas eſt?
Scilicet hoc fati vis inopina vetat.
Immò fallor ego. nam ſint pauciſſima quamuis
Ingenij nobis ſcripta relicta tui:
Te ſpectamus adhuc, te nos miramur in illis:
Aeternoq; manes dignus amore Simon.

Suos Deus tegit.

IOAN. LAVTERBACHII.

Non deſerit malis timentes ſe Deus.

Hæc fuit effigies celebris virtute Grynæi:
Quem mirè Spirâ texit in vrbe Deus.
Quum blaſphema Faber docuiſſet Epiſcopus ore
Indigno, verbis longè aliena Dei:
Accedit cupidus placidè conuellere dicta:
Eq; ſacris hominem vera docere libris:
Colloquium metuens, fingit ſe à Rege vocatum:
Cras & ad hoſpitij tecta redire iubet.

Intereà defert ad Regem labe carentem:
Supplicijq́ pio trux meditatur onus.
Vix cœnæ, repetens socios, assederat, atque
Colloquij breuibus dixerat ore scopum:
Quàm priùs excipiat lictorum turba Grynæum,
Vir canus celeri mandat abire fugâ.
A socijs Rheni sic mox deductus ad vndam,
Lictorum Christo fugit agente manus.
Deserit addictos nunquam Deus, eq́ periclis
Præsidio clemens eripit vsque suo.

MICHAELIS TOXITAE.

Quis hic sit, Hospes, scire vis:
Grynæus ille maximus
Virtutibus, scientiâ,
Vitæ probitate, moribus:
Vtraque sub Solis domo
Pijs amatus omnibus.
Vin' plura dicam? Apollinis
Decus fuit cognominis:
Nunc ornat ætheris domos.

IOANNIS SAPIDI.

Quæris, Simon Grynæus ille quis fuit?
Attende, dicam: magnus ille vir fuit:
Decreta Grammatices nihil nouit minùs
Quàm Priscianus: tam propè eloquentiæ

Ciceronianæ accesßit, ut nemo propiùs:
Chrysippon exæquauit in Dialecticis:
Non hoc Iopas melius increpuit lyram:
Numeri scientiâ τὸν αὐτὸν rettulit:
Talis Geometer, qualis Architas fuit:
Cognitionem habuit, ut Atlas, siderum:
De moribus consimili Aristoteli modo
Disseruit & sapientiâ cœlestium:
Non Plinio Physice priores detulit:
Non ceßit Hippocrati medendi indagine.
Fuit alter Aurelius sacris in litteris.
Iam quid sacræ non attigit Poëseos?
Quid est relatu dignum in historijs nouis
Et veteribus, simulq́ꝫ miscellaneis
In lucubrationibus, quod nesciјt?
Linguis Palæstinâ, Latinâ & Atticâ
Non aliter ac sermone plebeio vsus est.
Sed quid opus est multis, fuit planè Hippias:
Aut alter, aut vel præferendus Hippiæ:
Grex disciplinarum cui paruit omnium:
Quem luget extinctum meritò Cyclopædia:
Sui colit Grynæi quæ tumulum sacrum,
Vt Apollini huius nominis suum nemus.

IOACH. CAMERARII.


Condita Grynæi tumulo hoc sunt ossa Simonis:
Qui tua vicinus flumina Rhene videt:

Hîc vbi præteriens Basileam diuidis vrbem:
Quò de Danubij venerat ille iugis.
Namque fuêre huius patria oppida parua Feringæ:
Nunc famâ ciuis magna sed illa sui.
Heu dolor, hîc nomen iacet illud Apollinis, & sunt
Hoc sacra Musarum corpora tecta loco,
Nam Grynæe tibi ingenuæ quid defuit artis?
Quæ laus doctrinæ? quiúe honor ingenij?
Quod studium veri? quantus fuit ardor honesti?
Inprimis sanctæ qui pietatis amor?
Hæc nos amisisse dole, & lacrymare viator:
Res caret hæc magno publica morte bono.
Tu viuis Grynæe quidem in cœloque, soloque:
Verè ibi, nobiscum fama decusq́ tuum.


IOSEPHI à PINV.

Eteostichon.

Grynæe es duro resolutus carcere carnis:
Vrbs Rheni iuncta est quà Basilea vadis.



ALARDVS AMSTELREDAMVS Philosophus.



Si Logicâ laus est præcellere in arte, Rodolphum
Par laus Agricolam debita, meq; manet.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS
Belga:

Literarum Græcarum & Latinarum
peritiſsimus:

In quibus percipiendis Coloniæ ac Louanij
plurimum ei à pueritia fuit ſtudij,
ac temporis:

Logicarum præſertim artium ſingularis
æſtimator:

Quas poſteà in Academiâ profeſſus Louanij,
ſcholis illuſtrauit doctiſsimis:


Multorum præterea Græcorum auctorum,
maximè Hippocratis interpres
egregius:

Operum Rudolphi Agricolæ fidelis
explicator:

Felicem ſui memoriam, ob multiplicem erudi-
tionem relinquens poſteris:

Obiit Louanij Anno M. D. XLI.

NICOLAVS COPERNICVS Mathematicus.



Quid tum? si mihi terra mouetur, Solq; quiescit,
Ac cœlum: constat calculus inde meus.

M. D. XLIII.

NICOLAVS COPERNICVS
Torunæus Borussus, natus anno
M.CCCC.LXXIII.

Mathematicarum studijs disciplinarum
eruditissimus:
Aristarchi potissimùm Samij Paradoxa
secutus:
Quum Terram mobilem, Solem in medio universi immobilem, non tam re & veritate,
quàm specie quadam, & saluandæ
doctrinæ suæ causâ, constitueret:
Reuolutionum tabulis in lucem editis, vnà
cum Canone Triangulorum:
Cæterà vir insigni pietate, virtute, morum
humanitate præditus:
Moritur Septuagenarius anno Salutis Christianæ M.D.XLIII.

Eteostichon.

Iosephi à Pinu.

Ex hoc excessit tristi Copernicus æuo:
Ingenio, astrorum & cognitione potens.

HIER. TREVTLERI.

Cedat Atlas humeris onus: hic succedat, & orbes
Aetherios humero fulciat alter Atlas.
Dulcius haud studium, duce quàm pietate, futuras
Astrorum cupidâ volvere mente vias.

IN NICOLAVM COPERNICVM. NICODEMI FRISCHLINI.

Quem cernis, viuo renitet Copernicus ore:
Cui decus eximium formæ par fecit imago:
Os rubeum, pulcriq́ oculi, pulcrique capilli,
Cultaq́ Apellæas imitantia membra figuras.
Illum scrutanti similem, similemq́ docenti
Aspiceres: qualis fuerat, quum sidera iussit
Et cœlum constare loco, terramq́ rotari
Finxit, & in medio mundi Titana locauit.


N. REVSNERI.

Si par ille Deo est, oculis qui subijcit astra:
Ac loquitur purâ sidera mente poli:
Pares dijs meritò superis Copernice: magna
Cui fuit in superas scandere cura domos.
Ingenio stellas supponis & æthera docto:
Et cœlum, & cœli pandis in orbe vias.
Felix ista dies, nato quæ prima resulsit:
Conspicitur caudâ quâ Leo nocte minax.

BRVNONIS SEIDELII.

Arctoo mea clara fuit doctrina sub axe:
Est vbi Sarmatico Prussia iuncta solo.
Ipse nouâ cœli motus ratione notaui:
Certior hac priscâ regula nostra fuit.
Omnibus ac doctis hæc fundamenta probaui:
At mea te quædam num Paradoxa mouent?

LEO IVDAE
Theologus.




Librorum interpres ſacrorum fidus Iudas,
Nondum perfecto ſanctè operi immoritur.

LEO IVDAE.


Inter Tigurinæ Ecclesiæ Pastores & Mini-
stros non postremus, annos
XIX. & amplius:

Veteris Testamenti libros Hebraicos, simplici
& purâ dictione, è sacra Hebræorum lingua, in
Latinam & Germanicam transtulit,
fide & religione sum-
mâ:

Obijt Tiguri iam senex, mole grandis huius
operis oppressus, Anno Christi
M. D. XLIII.



MARTINVS LVTHERVS ISLEBIVS Theologus.



Pestis eram viuus, moriens ero mors tua Papa:
I nunc, & Christum, te, super ipse loca.

M. D. XLVI.

Anno 16 B. 00.

Gott kans wenden.

Gott zufürchten.
Keyser zu ehren.
Nechsten zu lieben.
Messigkeit zu halten.
Christlich zu leben.
Endlich. Zunehmen.
Den Christen Gebühren.

Antonius Von Dalhausen
auff Bunsen manu.

Joannis Kosini Žatecensis.

Hussius excussit scintillam, coepit Erasmus,
Sufflare. Lampas ab hoc orta Lu-
there tibi est.

—

MARTINVS LVTHERVS ISLEBII MANSfeldiæ Comitum natus, anno M.CCCC.LXXXIII.
Primis Magdeburgi & Isenaci imbutus literis:
Magister Philos. creatus Erphordiæ anno M.D.VIII.
Mox, anno insequente, quò magis Theologiæ vacaret, Monachus ibidem Augustinianorum asscriptus ordini:
Quadriennio pòst, auspicijs Friderici Sax. Elect. Vitebergam, ad sacras profitendum euocatus literas:
Romam, componendis religiosorum dissidijs, auctoritate ablegatus publicâ:
Sacros. Theologiæ, eodem post reditum anno Doctor creatus:
Ac tunc demum, Romanâ inspectâ curiâ, Orthodoxæ religionis studio instaurandæ incitatus maiore diuinitùs:
Quam è tenebris in lucem primò eductam anno M.D.XVII. tùm scriptis in publicum propositis innumeris, tùm liberâ semper professus voce coram Imperio Rom. vniuerso:
Formulâ tandem fidei Euangelicæ in Comitijs Augustæ Carolo V. Cæs. Aug. publicè exhibitâ, & ab eo confirmatâ:
Quem nec Regum aut Pontificum vis vlla, nec Sophistarum innumerabilium fraus vnquam vel tantillum terruit:
Seculi sui Propheta vltimus: Auriga & currus Israel:
Obijt placidè in patriâ, ipso Concordiæ secum ad cœlum subuectæ die, XVII. Febr. anno M.D.XLVI. Aet. LXIII. sepultus Vitebergæ.

IN MARTINVM LVTHERVM
Eteosticha Ioan. Stolsij.

Annus natiuitatis 1483.

Natus es Islebij diuine Propheta Luthere:
Relligio fulget te duce, Papa iacet.

Annus Magisterij Philos. 1503.

Erfurdi iuuenis titulos capit vrbe Magistri:
Lustra suæ ætatis quattuor acta colens.

Annus Monachatus. 1504.

Vana superstitio corpus iuuenile cucullo
Ornat: id omne tibi fraudi age Papa fuit.

Annus Professionis Viteberg. 1508.

Mittitur Albiorin, Christo auxiliante, Lutherus:
Quantus erat vates, gloria quanta scholæ?

Annus Doctoratus, & peregrinationis Rom. 1512.

Staupicij est iussu titulos Doctoris adeptus;
Vt trucis Italiæ vênit ab vrbe Lupi.

Annus Religionis instauratæ. 1517.

Relligionis opus cœno extrahis, auspice Christo:
Verax ò dextro nixe Luthere Deo.

Annus confessionis coram Caietano Augustæ. 1518.

Augusta Christum profitetur in vrbe Lutherus:
Non curans vultus, Præsul acerbe, tuos.

Annus disputationis Lipsicæ. 1519.

Eccius est iusti victus virtute Lutheri:
Disputat ut Iulij, Lipsia in vrbe, die.

Annus confeſsionis in vrbe Vangionum 1521.

Cæſaris ante pedes, proceres ſtetit ante potentes,
Accola quà Rheni Vangio littus adit.

Annus Pathmi. 1522.

Carlſtadij ob furias ad Saxona tecta cucurrit:
Faucibus ex ſæuis rurſus oues q; rapit.

Annus Matrimonij. 1525.

Seditio agricolæ ferro eſt reſtincta potenti:
Fœdera coniugij caſta Lutherus init.

Annus conuentus Marpurgici. 1529.

Marpurgi cœna Chriſti ferit acriter hoſtes:
Stabat ut à ſæuis cincta Vienna Getis.

Annus confeſsionis Auguſtanę exhibitę Carolo V. Imp. 1530.

Auguſtæ ſtatibus fidei confeßio cunctis
Propoſita eſt: Chriſti gloria læta redit.

Annus obitus. 1546.

Nona bis obſcuro lux Februa conſtitit ortu:
In patrio ut moreris, clare Luthere, ſolo.

De Eodem. Ioan. Stigelij.

Fortis & extremæ verax ætatis Helias
Celſa pius cœli tecta Lutherus habet.

Adami Siberi.

Quæ genuit, rapuit te ſancte Iſleba Luthere:
Cœlo animus fruitur: Leucoris oſſa tenet.

EPIGRAMMATA, IN MARTINVM LVTHERVM Antichristi domitorem.

THEODORI BEZAE.

Roma orbem domuit, Romam sibi Papa subegit:
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quantò isto maior Lutherus, maior & illa,
Istum illamq́; vno qui domuit calamo.
I nunc Alciden memorato Græcia mendax:
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.

IOAN. MAIORIS.

Lutherus Decimum confecit strage Leonem:
De clauâ noli quærere, penna fuit.

IOAN. LAVTERBACHII.

Magnum decus Pietas & Eloquentia.

Teutonidûm celebris pietate propheta Lutherus,
Thesbites zelo tertius, orbe suo:
Non pius humanis modò traditionibus, auctas
Restituit purgans relligonis opes.
Dum lucem tenebris prudens secreuit, & hostes
Confudit solitos bella mouere Deo.
Verùm idem docuit patriæ quoq; gloria linguæ
Germanos magnâ dexteritate loqui.
Hinc ingens meruit venturos nomen in annos:
Gloria relligio, gloria ritè loqui.

EIVSDEM.

Cœli columnæ sunt pij precatio.

In terras prono rueret ne pondere cœlum:
Supposuit cœlo brachia magnus Atlas.

Cum dulci rueret ne tellus Teutona pace:
Suffulta est precibus, magne Luthere, tuis.
Magne Luthere tuis precibus dum raptus abisti:
Cum dulci tellus Teutona pace ruit.
Doctor Atlas omnis sincerus vertice mundum
Sustinet: effundit quum pius ore preces.

GEORGII FABRICII.

Vnius Christi certare & fidere verbo,
Hæc tua vis ingens, magne Luthere, fuit.
Nemo erat afflictos solari mitior illo:
Nemo repugnantes spernere maior erat.
Ille malis hostis, dum viueret: ille verenda
Bella sepultus adhuc pro pietate ciet.
Si quæris tumulum, tumulum tibi Leucoris ora
Monstrat: si mentem, mens viget alta Deo.

HIERONYMI TREVTLERI.

Multa tuli, docui, scripsi, patriaq; revexi
Post tenebras fidei lucidioris opus.
Hic tamen, ut miseri pereant rixando nepotes:
Gloria si qua mea est, gloria tota Dei est.

EIVSDEM.


Islebij natus, superis quoque redditus oris,
Convellis tumidi regna, Luthere, Papæ.
Postera si sancti benè dogma secuta fuisset
Turba ducis, iam nil fraus tua, Roma, foret.

IOACH. à BEVSTH.


In ſua conceſſit quo tempore fata Lutherus;
Mortuus eſt puræ religionis apex.
Mens it ad aſtra, die cui dat Concordia nomen:
Lutherum in cœlum quæ comitata redit.
Huic quia ſucceſſit lacerâ Diſcordia veſte:
Da populo Eliæ pallia Chriſte tuo.

N. REVSNERI.

Seu lucem Decio virgo Concordia paſſa
Cæſare: Romanis ſeu Dea culta ſacrat:
In cœlum quando remigras, diuine Luthere,
Mortuus, & ſuperûm regna beata colis:
In cœlum pariter remigrat Concordia tecum:
Pulſaq́; fit comes huic cum Pietate Fides.
Pro quibus hinc toto Vis & Diſcordia mundo,
Et cum Bellonâ regnat Erinnys atrox.



IOANNES SCHONERVS
Mathematicus.




Qui tabulas geneseśq; meas legis, ipse fateris
Astronomum pariter me, Astrologumq; bonum.

M. D. XLVII.

IOANNES SCHONERVS CAROLOſtadius in Francia natus, anno M.CCCC.LXXVII:

Aſtrologus æquè, ac Aſtronomus excellens:
Qui Mathematum ſtudia plurimum operâ induſtriaque ſuâ, & auxit, & illuſtrauit:
Reſolutarum Tabularum opere illo egregio, ſine quibus Theoricæ, ut vocant, motuum cœleſtium, lnce carent ſuâ, in publicum edito:
Vnà cum altero illo Genethliaco opere Anteceſſoris ſui Regiomontani multis modis aucto, atque locupletato:
Quo ipſe multa non ab alijs modò tradita, ſed & à ſe longo obſeruata uſu, vnum in corpus digeſta explicauit planiſsimè, & tanquam diſsipatas ædificij partes, extruxit belliſsimè:
Præclarè de re literariâ vniuersâ meritus:
Obijt Noribergæ Septuagenarius, XVI. KL. Februar. Anno Domini M.D.XLVII.



IN IOANNEM SCHONERVM Mathematicum.


PHILIPPI MELANTHONIS.

Astrorum motus, & fata regentia mundum
Qui norunt, multos Francica terra tulit.
Hesperus at quanto, quàm cætera sidera, fulgent,
Splendidior, vultus Sole regente suos:
Tantum præ reliquis caput extulit vnus & alter:
Secula vix maius prisca tulêre decus.
Regius, alter erat, cui Mons cognominis vsum,
Et natale solum, primaq́ꝫ tecta dedit:
Qui procul Ausoniâ decessit in vrbe Ioannes:
Artis ibi specimen quum daret ipse suæ.
Alter ab hoc viuit Schonerus, laudibus artis
Non tamen inferior, quàm fuit ille, suæ.
Nostra quoqꝫ his ducibus peragrarunt lumina cælum:
Barbarico fuerant quæ vitiata luto:
Vtq́ꝫ ferè extinctam reuocauit vterqꝫ Mathesin:
Sic tantum peperit laudis vterqꝫ sibi:
Terra tibi quantùm Bæotica fortis Orion,
Et Libycæ Atlanti debuit ora suo.
Hæc igitur vultus Schoneri monstrat imago:
Ingenium libris exprimit ipse suis.


IOAN. LAVTERBACHII.

E voce verbi fata consistunt Dei.

Orione suo quantum Boeotia, quantum
Laetatur Libye diues Atlante suo:
Schonero tantum laetatur Francia, cuius
Ingenio sedem tota Mathesis habet.
Signorum positu fati caeliq; tabella,
Indicio quae sint cuiq; tenenda pio:
Quae globus, & terrae, & caeli ratione struendus:
Ingenti solers dexteritate monet.
Obseruans idem longo quae sumpsit ab usu,
Vt teneas, facili tradita lege docet.
Cuique suam cupidus fortunam discere causis
E Physicis, ut te motibus astra iubent.
Ne cum caelesti referas pugnantia verbo:
Scripturaeq; vagans transgrediare viam:
Caelestis fines intra te comprime verbi,
Quam fatis, verbo maior habenda fides.



BEATVS RHENANVS
Hiſtoricus.



Multum ſe Germana mihi hiſtoria, atq; Latina
Debet: me Patriæ vindice claret honos.

M. D. XLVII.

BEATVS RHENANVS COG. BILdius, Selestadij, Alsatiæ oppido natus Anno M. CCCCXXCV:

Sub Cratone Vdenhemio, & Hieron. Gebuuilero primò in patria eruditus:

Lutetiæ dehinc, & Basileæ sub clariss. doctorib. doctrinæ maturitatem adeptus:

Magni illius Erasmi summus amicus & familiaris:

Priuilegio ciuilium vacationum in patriâ à Carolo V. Cæs. impetrato:

Priuatus sibi domi potiùs, quàm alijs viuens vitam planè Philosophicam, absque vllo maleficio, vllaúe iniuria:

Multis Græcis atque Latinis scriptoribus restitutis in integrum, atque recognitis:

Rerum præsertim Germanicarum indagator sagacissimus, adeoque omnis antiquitatis studiosissimus:

Qui & patriæ suæ ornamento, & exteris admirationi fuit:

Sed & præter excellentem doctrinam, innocentiæ, humanitatis, pudicitiæ, omnis denique officij & probitatis laude commendatissimus:

Gratus omnibus, nemini grauis:

Obijt Argentorati, ex thermis Martijs rediens, anno ætatis LXII, Selestadij in patriâ sepultus, anno Domini M.D.XLVII.

HIER. TREVTLERI.

Teutonidos quantum Rhenus præstantior vndis:
Rhenanus nostris dignior historicis.

Omen erat certe nomen fecisse Beato:
Hic primus Rhenum sic beat: ille virum.

IN BEATVM RHENANVM Historicum.

C: VRSINI VEHLII.

O mihi post magnum, venerabile sidus, Erasmum:
Nunc quoq; vix illo, culte, Beate, minor.
Tota nihil vobis Germania doctius ingens,
Forsan & haud aliquid doctius orbis habet.

IOAN. ATROCIANI.

Doctior, an melior, nostrum haud finire Beate:
In te nam certant hæc generosa simul.
Non te pro meritis possem laudare Beate:
Nam superat Musam candida vita meam.
Longiùs & tua deuincit doctrina canentem:
Et vincit vires, magne Beate, meas.

GEORGII FABRICII.

Quicquid habet nostro Germania tempore lucis:
Debetur studio, docte Beate, tuo.

AEG. PERIANDRI.

Quum cupio laudes pleno cantare theatro,
Imbelli quamuis lege, Beate, tuas:
Succumbunt vires, & robora parua Thaliæ:
Filaq; Castalio tincta liquore cadunt.
At dicam, multum debet tibi lingua Pelasga:
Et multum Latij Musa diserta soli.
Nomine cum tanto dicetur Teuto beatus:
Quòd tantum Musæ lumen habere dedit.

HIER. TREVTLERI.

Teutonidos quantum Rhenus præstantior vndis:
Rhenanus nostris dignior historicus,
Omen erat certè nomen fecisse Beato:
Hic primus Rhenum sic beat: ille virum.

FR. RAPHAELENGII.

Plurima scripta notis præclara Beate beasti:
Estqúe beata tuo Teutonis ora stylo.
Quapropter varijs felix alebrabere terris;
Dumq́ beas alios, te simul ipse beas.

IOANNIS SAPIDI.

Beatus Rhenanus loquitur.

Quòd nunc illustrata suis Germania rebus
Nascitur: est nostri non leue Martis opus.
Quòd veterum purè auctorum monumenta loquuntur,
Acceptum mihi & hoc, qui legit illa, ferat.
Quòd varijs inscripta notis, & picta figuris
Patria culta mea est: auctor & ipse fui.
Inde caduca mei pars sit licet obruta terrâ:
Parsq́ mei, cœlum, non moritura, colat:
Non humana tamen totus commercia linquo:
Nam partem partes hæ peperêre duæ.
Illa viros doctos linquet: linquetur ab ipsis,
Quum Sol occiduo tollet ab orbe caput.
Musa mei Sapidi me, consuetudinis ergò
Antiquæ, fecit post mea fata loqui:
Iußit & incidi saxo mea verba perenni:
Vt sint officij pignus & arra sui.

MATTHIAS ZELLIVS CAESARISPER-
gius, Argentin. Eccleſ. Paſtor.



Me primum liquidam colit Argentina docentem
Clara fidem, Latio libera facta iugo.

M. D. XLIIX.

MATTHIAS ZELLIVS CAESARI-ſpergi in Alſatia natus. Anno M.CCCC.LXXVII:

Poſt Magiſterij gradum Philoſophici, in Academiâ cum laude adeptum.
Literis Diuinis impensè deditus:
Parochus primùm & ſacerdos in æde D. Laurentij factus Argentinæ, A.M.D.XXII:
Pòſt cœleſti illuſtratus veritatis cœleſtis lumine:
Primus Antichriſtianæ doctrinæ palàm aduerſatus:
Magna Cleri inuidiâ, & vitæ cum diſcrimine magno,
Profligatis ex Eccleſia ſuperſtitionibus,
Fidelibus Bucero & Hedione adiutoribus:
Sanctam Euangelij Doctrinam puram putam in vrbe docuit, annis XXVI. circiter:
Homo non doctrinâ tantùm, ſed etiam Chriſtianis virtutibus, ac præſertim modeſtiâ, temperantiâ & caritate in pauperes inſignis:
Obijt placidè in Chriſto IX. Ianuarij die: Anno vitæ LXXI: Chriſti M.D.XLVIII.

Eteoſtichon.

Occubuit celebris felici ſorte Mathias:
Vix tantus noſtrâ Presbyter vrbe fuit.

IN MATTHIAM ZELLIVM CAEsarisbergium.

Euangelium Dei donum.

IOAN. LAVTERBACHII.

Salutis eſt doctrina munus à Deo.

Argentina, Dei te patrum Zellius æuo,
Talis, qui cœpit verba docere, fuit.
Pertulerit quantos inuictâ mente labores,
Pro tenebris ſtuduit dum reuocare diem:
Florens eſt teſtis Reſpublica: teſtis in altâ
Qui tunc auditor ſedulus æde fuit.
Dante Deo obtinuit pulſis lux clara tenebris:
Vt niueo tandem redderet ore diem.
Hanc ſeruare Deus multos dignare per annos:
Vt niueo ſpargat clara nitore diem.
Quod luci tenebræ cedunt, verbumq́; ſalutis
Quod paßim regnat, munus id omne Dei eſt.

NIC: GERBELII.

Sex & viginti Chriſtum docet impiger annis:
Primus & inſuetum Zellius vrget opus.
Infenſus Papæ, ſcelerumq́; acerrimus hoſtis:
Nec minùs & molles ſæuus in hypocritas.
Parte aliâ nunquam, quos dura premebat egeſtas
Auxiliatrices deſeruêre manus.
Moribus & vitâ doctrinam expreßit: & ipſi
Mors fuit haud aliud, quàm ſopor eſſe ſolet.

ANONYMI.

Exegit decies ſeptenos Zellius annos:
Triginta in ſummâ hîc Parrochus æde fuit.
Quinque Euangelium docuit per luſtra renatum:
Hoſtis hypocriſeos, Pontificumq́; grauis.
Cenſor erat ſcelerũ vehemens: quæq́; ore profeſſus
Expreßit vitâ, pauperum vbique pater.
Lingua loquebatur, quæ corde animoq́; ſedebant:
Nec quicquam inflatâ mente ſuperbus erat.
Omnium obit tandem luctu (mirabile viſu)
Dum ſedet, & ſanctas fundit ad aſtra preces.

IOANNIS SAPIDI.

Hoc Matthias iacet ſepulcro Zellius:
Qui Chriſtiani functus officio ſacro
Præconis apud Argentoratum, plus minus
Annis viginti ſex, eâ ſimul fide,
Eâ ſimulq́; diligentiâ: ut opere
Sategerit præſtare quoque, quod docuerat.
Hinc eius in demortui funus dolens
Et mœſta prodijt ferè omnis ciuitas.
Is fruitur illâ nunc beatitudine,
Ad quam ſuum gregem vocauit ſedulò.
Optabilis mors, quæ benè morientibus
Finis ſui, æternæq́; vitæ exordium eſt.

MICH. DOXITAE.

Primus in hac veram doctrinam Zellius vrbe,
Erroribus purgauit à quàm plurimis.
Hoſtis erat ſcelerum, cultor virtutis, amicus
Veri: nihil fortis timens pericula.

Aequauit vitâ doctrinam sanctus honestâ:
In pauperesq́; liberalior fuit.
Felix coniugio, felix florente senectâ,
Obit dolore ciuium grauissimo.

EIVSDEM.

Zellius, ut vitæ bisseptem lustra peregit,
Mutauit vitam nobiliore suam.
Illius, optatâ licet ipse quiete fruatur,
Argentina tamen tristia fata dolet.
Namque ita degebat vitam, ne cerneret vllum,
Vel virtute sibi, vel pietate parem.
Sex lustris Pastor summus, lustro at minùs vno
Sinceram docuit primus in vrbe fidem.
Præco pius Christi, sed Papæ asperrimus osor:
Zelo quippe malos oderat ille pio.
Dissimulare nihil, nihilis simulare solebat:
Sed par doctrinæ vitaq́; corq́; fuit.
Nocte dieq́; suas ædes patefecit egenis,
Et se pauperibus præstitit ille patrem.
Tandem, vbi sollicitè commissa Ecclesia Christo est,
Exspirat, Domino vota precesq́; ferens.

HIERO. TREVTLERI.

Zellius Antistes tuus Argentina, novatæ
Primus init, Christo sub duce, lucis iter.
Hic tibi Ianus erit: secli fermenta prioris
Qui videt: at lucis secla renata colit.

ABRAHAMI LOESCHERI.

Hîc ſitus eſt, placidâ conſumptus morte, Mathias:
Si modò, qui viuit, mortuus eſſe poteſt.
Spiritus æthereas ſaluus peruenit ad arces:
Perpetuum toto nomen in orbe volat.
Hoc duce diuinum cœpit ſplendeſcere verbum,
Ac benè deterſo clarius eſſe ſitu.
Aſſeruit ſummi creſcentia dogmata Patris:
Dum vox, dum virtus, dum ratio vlla fuit.
Quisquis es, huic faueas, & fauſta precare viator:
Et dic, ſub terrâ molliter oſſa cubent.


NICOLAI REVSNERI.

Te quoque Pontificum Zelli ſacra ficta colentem:
Cæſareus cui Mons patria clara fuit:
Te fidei demum rènouatum luce beatæ,
Quando Dei purè cœlica verba doces:
Argentina colit merito poſt funus honore:
Per te quæ cœpit noſcere ritè Deum.
Fidus erat dux Pfarrerus, pariterq́; Iacobus
Sturmius? hic Prætor, Conſulat ille bonus.
Annorum moreris tandem ſatur, atque laborum:
Fatalis Iani lux tibi noná fuit.

Eteoſtichon.

Phœbus vbi rutilans Capricorni ſigna reliquit,
Zelli care, quies mors tibi viſa fuit.

CASPARVS CRVCIGER S. Th. D.



Lipsia dat patriam: cathedram dat Leucoris alma,
Ac tumulum: nomen crux mihi sancta Dei.

M. D. XLVIII.

GASPAR CRVCIGER LIPSIENſis, Cal. Ian. natus anno M. D. IIII.

Præceptore vſus in patria Caſp. Bornero, & Petro Moſellano domeſtico, ampliùs quadriennio:
Colophone ſtudijs ſuis VVitebergæ impoſito:
Trium linguarum egregiè peritus:
Omni prætereà liberali arte & doctrinâ polius:
Mathematum præſertim, & Phyſicæ, & Medicinæ ſtudijs excellens?
Summum pòſt Doctrinæ gradum in Theologia adeptus, & Doctor ſalutatus:
Quam non viua ſolùm voce, ſed & ſcriptis, amœniſſ. ingenij, & fidei ſanctiſſ. teſtibus, plurimum illuſtrauit atq; propagauit:
Fidus Chriſti præco, & fidelis M. Lutheri in opere Domini conficiendo adiutor, & ſocius:
Obijt in ſtatione ſua Vitebergæ, corporis viribus ingenium minimè adæquantibus, florente adhnc ætate: anno vitæ confecto XLV: ſalutis M.D.XLVIII. d. XVI. Novembris.

Ioſephi à Pinu.

Eteoſtichon.

Fertur in Aemonio Latonæ filius arcu:
Vt Cruciger fati noxia tela tulit.

IN GASP. CRVCIGERVM.
PETRI LOTICHII.

Ore tribusq́ potens linguis, & pectore Gaspar.
Talis, adhuc vitâ quum frueretur, erat.
Gaspar, ouile Dei qui rexit, vimq́ luporum
Reppulit, & iuuit relligionis opus.
Lustra sui nondum bis quinque peregerat aui:
Funere sublatus quum fuit ante diem.
Lucida nunc coràm, cœlesti sede receptus,
Quæ priùs ingenium calluit, astra videt.

GEORGII FABRICII.

Cui sacer est tumulus? Christo. quis condita seruat
Ossa chorus? Spes, & cum Pietate Fides.
Quis cubat hîc? Cruciger. quænam monimenta reliquit?
Plurima, præstanti non renuenda viro.
Qualis vita fuit? diuini plena timoris.
Quod munus? populum Christe docere tuum.
Quæ studia? in sacris libris perferre labores?
Quæ mens? digna bono, digna pioq́ viro.

IOAN. LAVTERBACHII.

Aeternæ meditans sedis contingere vitam,
Cogitur innumeras exsuperare cruces.
Casparus Cruciger, Doctor clarissimus, istud,
Ergo non frustra nominis omen habet:
Dum scriptis Christum confessus & ore salutem
In templis docuit sedulus, inque scholis.

Quas non ille cruces, quæ non mala passus; in astra,
Quò crucis, & mundi vi penetrares onus?
Dum crucis & mundi per onus penetrauit in astra,
Cum Christo Cruciger regna beata colit.
In Christo cruciger, qui non crucis horret acerba,
Post crucis ærumnas gaudia saluus adit.

ADAMI SIBERI.

Iam curis hominum exutus requiescis in vrnâ:
Iam vitæ Cruciger te mala nulla premunt.
Felix, cui mortis victorem in morte tueri,
Saluantisq́; frui contigit ore Dei:
Dum vixti, Christũ linguâ es calamoq́; professus:
In Christum, cecidit nec tua morte, fides.
Ante Deum fulges, cœlo ceu Lucifer alto:
Tanta manet doctos gloria, tantus honos.

N. REVSNERI.

Tertia lux Idus sequitur quæ mœsta Nouembreis:
Heu fati Cruciger conscia magne tui est.
Cura tibi populum de relligione docere,
Atque sacros libros scribere cura fuit.
Leucoris ô quantum morientem luxit ad Albim:
Gymnasij cuius doctor, & urbis eras?
Floribus illa tuam memor hic solennibus vrnam
Seruat adhuc, studij pro pietate tui.
At tua fama polo manet æternata soloq́;:
Et mens ætheriâ viuit in arce Deo.

VITVS THEODORVS PASTOR Eccleſ. Noriberg.



Sacra Dei fidus colo Noride doctor in urbe:
Quod dederat, reddo munus & ipſe Deo.

M. D. XLIX.

VITVS THEODORVS PATRIA Noribergenſis:

Academiæ VVitebergenſis alumnus vetus:
Philoſophiæ pariter & Theologiæ ſtudium amplexatus indefeſſum:
In illâ Magiſtri, in hac ſi minùs nomen, at omen diuino aſſecutus numine Doctoris clariſſ:
Quod ſuis partim, partim doctoris ſui M. Lntheri, ceu iudicis & approbatoris digniſſ. Commentarijs ſacr. ſcript. in publicum editis, ſatis euidenter conteſtatus eſt:
Reuocatus ob id Noribergam, ac miniſterio præpoſitus Euangelico in æde Sebaldina:
Colloquio prætereà doctorum virorum de religionis controuerſiâ adhibitus Ratiſponæ in Comitijs, anno M.D.XLVI:
Magna vi eloquentiæ, & vitæ ſanctimoniâ præditus:
Obijt in patria feliciter, XXVI. Martij. M.D.XLIX.

Eteoſtichon.

Ioſephi à Pinu.

Hac triſti eſt clauſus Vitus Theodricus in urnâ:
Noricidæ populi Paſtor, & vrbis honos.

IN VITVM THEODORVM Theologum.

EPIGRAMMATA.

PHILIPPI MELANTHONIS.

Effigiem VITI pictura hæc monstrat inanem:
Conueniens nomen cui Theodorus erat.
Clara pios dedit huic urbs Noricaberga parentes:
Addidit ingenio sed sua dona Deus.
Ipsius mores casti & sine labe fuerunt:
Iustificâ coluit te quoque Christe fide.
Sparsit & in patriâ, constanti robore mentis,
Pura Euangelij semina voce suâ.
Ingenij monimenta sui, sed plura Lutheri
Edidit: his poterunt secla futura frui.

IOAN. LAVTERBACHII.

Vitâ exiens, præco Dei vitam petit.

Qui sacra collegit primus dictata Lutheri:
Et prælo, fierent ut manifesta, dedit:
Qui multos scripsit de relligione libello:
Et veram docuit mente probare fidem:
Claruit hac VITVS Theodorus imagine; magnâ
Pegnesi præco fidus in urbe Dei.
A vitâ quanquàm sortitus nomen habebat:
Annis vita tamen non diuturna fuit.

Aduerſis longo conflictans tempore morbis,
Deſerit in Chriſto morte ſolutus humum.
Spiritus ad cœlos, quos ſuſpirauit, abiuit:
Cumq́ꝫ Deo superûm ſede beatus agit.
In Chriſto moriens, ſtudijs qui profuit orbi,
Non moritur, vitam morte beatus agit.

ADAMI BIBERI.

Hic quoque Chriſte tuum nomen, verbumq́ꝫ profeſſus
Sincerâ fidei ſimplicitate fuit.
Doctrinam didicit quam præceptore Luthero:
Noluit ignotam ciuibus eſſe ſuis.
Audijt ergo illum Pegneſidos accola ripæ,
Tradentem veri dogmata pura Dei.
Audijt, & tali ſeſe doctore beatam
Dixit arenoſo Noricaberga ſolo.
Quid memorem, ſcripſit quos de pietate libellos,
Regnum oppugnantes, impie Papa, tuum?
Nunc in ſanctorum cœtu, vatumq́ꝫ patrumq́ꝫ,
Perpetuæ felix tempora pacis agit.
Et vel inauratam cytharam dum tractat, acerram
Ante Deum vel, quæ thure referta, tenet:
Extincto pro ſe Chriſto debere ſalutem,
Illius adſertum ſeq́ꝫ cruore canit:
Membra, domum mentis, lucis reditura ſub auras
Norica terra tulit, Norica terra tegit.

PANTAL. CANDIDI.

O date Vite Deo, per templa, fauente, ſacerdos,
Iuuiſti ſtudijs templa beata ſacris.


HIER. TREVTLERI.

Norica tecta Viti discunt Pastoris ab ore,
Ingenio, vitâ, luce, styloque Deum.
Tales, per quorum sic crescit dîa labores
Gloria, dona Dei quis neget esse viros?


NICOLAI REVSNERI.

Defunctus loquitur.

Multum qui scribit, multum quoq; viuere terris
Creditur; hinc ætas scriptitat istà nimis.
Pauca equidem scripsi, sed vitæ commoda sanctæ:
Per me commodiùs Biblia quisq; legit.
Per me Euangeliȷ̈ fit lectio clarior: ægris
Per me pectoribus certa medela venit.
Sat scripsi, sat ego vixi quoq; nempe professus,
Dum vixi, patriæ cœlica verba meæ.
Quod superest, Christo super æthere viuo beatus,
Quem colui: felix viuere vita Deo.



MARTINVS BVCERVS Theologus.



Dum viuo, Christum doceo: pro munere cœlum
Dat Christus: negat hinc Papa cruentus humum.

M. D. LI.

MARTINVS BVCERVS SELESTADII CElebri Alſatiæ oppido natus, anno M.CCCCXCI:
Cui ex Dominicanorum cloacâ, Lutheri voce, VVormatiæ coram Cæſare liberè loquentis, excito, varijsqne inſidijs pòſt appetito.

Reſtitutam apud ſe Argentina (vt & Vlma) lubens debet Eccleſiam:
Cuius & eruditionem ſingularem, & zelum pietatis eximium, cum eximiâ prudentiâ coniunctum, omnibns ſeculis teſtabuntur, tùm doctiſſimæ ipſius lucubrationes, & in publicis Comitijs diſputationes habitæ: tùm pro Eccleſiarum pace, quamuis non felici ſemper ſucceſſu, labores exhauſti:
Is igitur Theologus verè Aretius Bucerus, poſt vicennium integrum, quo Argentinæ ſacras literas in Eccleſiâ & ſcholâ docuit, in Angliam demum profectus:
Edouardo VI. Religioſſ. Rege vocante, Cantabrigiæ in Academiâ Theologiam, ſummo cum doctorum piorumque omnium concurſu, circiter biennium profeſſus:
Quum placidâ morte Prid. KL. Mart. anno M.D.LI. annum ætatis agens LXI. obijſſet:
Quinto pòſt anno, euerſo poſt Eduardi Regis obitum Religionis ſtatu, erutus crematusque, anno M.D.LVI. martyrij palmam tulit:
Quarto rurſus pòſt anno, admirabili rerum viciſſitudine, ſub Eliſabeta Regina, iudicio aduerſus innocentem publicè reſciſſo, in integrum reſtitutus, anno M.D.LX.

IN MARTINVM BVCERVM. Theologum.

EPIGRAMMATA.

THEOD. BEZAE.

Natales Bucere tuos Germania iactat,
Natalibus felix tuis.
Quis verò & quantus fueris, tua ſcripta loquuntur,
Ad littus orbis vltimum.
De vitâ ſi quis rogitet, Germania dicet:
Inuita Bucerum expuli.
Aſt ego ſic pulſum (pia dixerit Anglia) foui,
Tandemq́ texi mortuum.
Verùm mox eadem (factum ô immane) ſepulcro
Flammis cremauit erutum.
Fallor ego, totus terrenæ fæcis an expers
Bucere ſic cœlum tenes?

IOANNIS CHECI.

Vita grauis miſero, grauior mors: ſed tibi tanto
Mors nec vita poteſt eſſe Bucere grauis.
Vita fuit Chriſtus, mors lucrum: viuere ceſſas
Naturæ: at Chriſtus vita perennis adeſt.
Alma fides Chriſti, quam tu ſuper aſtra ferebas,
Te ſuper aſtra eadem ſuſtulit alma fides.
Quumq́ tui mores, pietas, doctrina probentur:
Mors tua non grauis eſt, & grauis eſt eadem.
Mors grauis eſt nobis orbatis lumine tanto:
Non grauis eſt tibi, quæ vita beata tibi eſt.

Doctrinæ studium, vitæ constantia, mortis
Exitus, ô idem sit mihi Christe precor.

ALEXANDRI NOVELLI.

Cognita Germanis, benè cognita sancta Britannis
Vita Bucere tua, & lingua Bucere tua.
Cognita sunt latum sanctissima scripta per orbem:
Queîs pia nulla magis, docta nec vlla magis.
Sed Cantabrigiæ, non toto cognitus anno,
Conditus es tumulo, magne Bucere, breui.
Sic Cantabrigiæ, fatorum lege, Bucere
Cognitus & decus es, conditus & dolor es.

GVILIELMI BVCLAEI.

Lis est, Germanus fueritné Bucerus, an Anglus:
Vtraq; gens, causam quo tueatur, habet.
Mundanum celebris fecit Germania ciuem:
Cœlestem ciuem terra Britanna facit.
Ad cœlum mundo longè est præstantius: ergo
Conditio melior terra Britanna tua est.

THOMAE HATGHERI.

Germanis Martine tuis, est nota Britannis,
Omni nota solo fama Bucere tua.
Te tua magnificis Germania laudibus effert:
His dedit, & nunc dat terra Britanna pares.
Omni nota solo, tua scripta Bucere leguntur:
Quæ prohibent dominum morte perire suum.

GVILIELMI VVICHANI.

Laudémne? an lacrymem tua tristia fata Bucère:
Nobis sunt sanè tristia, læta tibi.
Te nobis lacrymo, diuine Bucere, reuulsum:
Gratulor annexum te tamen esse Deo.
Funus idem vnius lætum est & triste Buceri:
Ipsa tamen maius gaudia pondus habent.
Non tibi, sed nobis moreris, Martine: beatus,
Qui moritur mundo, viuat ut ille Deo.

GVILIELMI DAII.

Et vitâ felix Bucere, & morte fuisti:
Et cœlum, geminâ sorte beatus, habes.
Quid viuus poteras optare beatius vnquàm,
Quàm viuâ summum voce docere Deum?
Quid moriens, quàm (quod viuus sæpè antè petisti)
Vita quod hæc docuit morte docere tuâ?
Scilicet hæc superas isti sortitus ad oras:
Vt meritò ex omni parte beatus eas.
Sic ô sic iusti misero rapiuntur ab orbe:
Ne videat mœstos turba beata dies.

THOMAE IEFFRAEI.

In sanctos sæuit mundus, fera bella minatur:
Nouit cum Christo vincere vera fides.
Bella gerit mundus tecum, diuine Bucere:
Tu semper fidei numine tutus eras.
Nobilis ô fidei doctor, Christiq; minister:
Tu procul à mundo nunc super astra manes.

P. CANDIDI.

Ornauit, docuit, conformauitq́; Bucerus
Templa, scholas, vrbes eloquio, arte, fide.

IOAN. LAVTERBACHII.

Ecclesiastes orbis est ludibrium.

Doctrinâ rerum Bucerus cultus & arte:
Infidæ liber Sortis in orbe iocus:
Iactatus terrâ, pelagi iactatus & vndis,
Ob Christum forti pectore damna tulit.
Sortis contemnens ludibria, damnaq́; rerum,
Doctrinæ sparsit semina pura Dei.
Non operum docuit meritis æterna mereri:
In Christo solo iustificante fide.
E patriâ cedens, à Rege vocatus ad Anglos
Externâ vixit, nec diuturnus, humo.
Hi sine mente fidem reuocantes, condita quamuis
Ingrati nudant corpora, dantq; rogo.
Pòst Regina tamen cum magno prorsus honore
Restituens cineres ponere curat humo.
Somniet in mundo ne verbi Doctor honores:
Sortis enim verbi est Doctor in orbe iocus.

ANONYMI.

Ludibrium sortis, variè iactatus ARETI.
Semina doctrinæ pandis vbiq; tuæ.

Præreptum fato tumulauerat Anglia corpus:
Quod cadit in triſtes atra fauilla rogos.
Regia ſed cineres virgo miſerata repoſtos
Vrnæ ſnpremo iuſsit honore dari.

N. REVSNERI.

Multum equidem Bucere tibi Germania debet:
Anglia ſed debet plus tamen ipſa tibi.
Nam pietas & relligio te ſancta docente
Creſcit, habetq́ decus clarificata ſuum.
Scit Cantabrigiæ urbs, ſcit & Argentina: probaſti
Cui doctor fidei pectora plena piæ.
Te quamuis inuita fugat Germania: quamuis
Anglia poſt mortem te (ſcelus) ipſa cremat.
Quem viuum colit, & digno veneratur honore:
Quam facti tandem pœnitet vſq; fui.
Maior ab exequijs tua nunc quoque gloria ſurgit:
Quis ſis, & quantus, pagina multa docet.
Februa ter ſeptena cremat, necat ultima: cœlo
Quæ tibi vita datur, vita beata datur.

Eteoſtichon Ioſephi à Pinu.

Currit ut obliquo per Piſces tramite Phœbus:
Bucerus felix regna ſuperna capit.

PAVLVS FAGIVS
Theologus.



Quærere. quis fuerim, noli: mens vna, fidesq́;
Bucero mecum, vitaq́;, morsq́; fuit.

M. D. L.

PAVLVS FAGIVS PALATINVS,
Tabernis Rhenanis natus anno
M. D. IIII.

Primis ſtudiorũ fundamentis Heidelbergæ poſitis:
Quum ſanctæ linguæ ſtudio arderet
incredibili.
Sub Capitone doctore (cui poſteà ſucceſsit) Argentinæ ad miraculum vſque peritiſſ. eius
euadens, ipſis Iudæis teſtibus:
Iſnæ primùm Moderator ſcholæ, dein Paſtor
factus Eccleſiæ:
Petro Buflero, Senatore eius vrbis ptimario, Patrono vſus incomparabili, ſancta in lingua exornanda, vnà cum Elia Leuita Iudæo Veneto doctiſſ.
Argentinam demum euocatus, & in ea (Conſtantia vrbe priùs tamen reformata etiam
per biennium)
Tùm Paſtoris, tùm Doctoris egregiè munus ſuſtinens, anno M. D. XLIIII.
Tandem periculoſiſſ. Germaniæ tempeſtáte, Cæſare victore, in Angliam abreptus cum Bucero collega, & Synaſpiſte:
Cantabrigia vix ſalutatâ (heu) mortuus anno M.D.
L. Prid Id. Nou. annum vitæ agens XLV:
Eandem quinto pòſt anno cum Bucero martyrij
palmam, Marianis temporibus exhumatus ac crematus, tulit:
Simul poſteà cum eodem, ſub Eliſabetha regina,
ipſius memoria in integrum reſtituta,
Anno M. D. LX.

IN PAVLVM FAGIVM Theologum.

Epigrammata.

GVILIELMI DAII.

Bucero primas dedimus: tibi Paule secundas
En damus, Hebrææ gloria prima scholæ.
Hoc vno inferior Bucero Paule fuisti,
Quòd prior extremum cernis adesse diem.
Verùm illo maior Bucero Paule fuisti,
Quòd prior æterno es iussus adesse Deo.
In reliquo similem duxistis tempore vitam:
Ambo salutiferi bucina fida Dei.
Ambo stelliferi sparsistis semina regni:
Semina prouentu non caritura suo.
Vnde vtrunq; Deus magno dignatus honore,
Vtrumq; ad superi transtulit astra poli.
Et ne vestra queant communia fata putari,
Qualia sunt, quæ nos, vulgus inane, ferunt:
Mors postquàm è vitâ, solitâ vos lege tulisset,
Restituit sacris ossa cremanda focis.
Non ut confeßi tantùm, sed ut vltima paßi,
Scandatis celsi sidera summa poli.
Felices animæ, superas licet ijstis ad oras,
A nobis vestrum nomen abire nequit.
Eximiâ semper viuetis laude perennes:
Quam canet Aonijs nostra Thaleia modis.

IOSEPHI à PINV.

Eteoſtichon.

Sole orto volucrum Regina leuatur in ortu:
Fagius ut ſenſit tela cruenta necis.

GVILIELMI VVICHANI.

Dulcibus ut Chriſti Fagius requieſcat in vlnis,
Suſtulit è terris in ſua tectа Deus.
Papa, quòd ut ſanctus ſuperas migrauit ad oras,
In terris tumulo non dedit eſſe locum.
Flammea ſed primam ſequitur mors altera mortem:
Quodq́; erat in terris, id datur omne rogis.
Morte ſed ex geminâ duplex en vita reſurgit:
Altera dat terris, altera adeſſe Deo.
Mens agit in ſummis, licet uſtus corpore, cœlis:
Viuere nobiſcum viuida fama facit.
Eſſe quid hoc dicam? certè eſt mirabile dictu:
Interimunt vnum, non duo fata; virum.
Aſpera nonnullis vitam mors abſtulit vna:
Nil Fagio mortis ſpicula bina nocent.
Sic ſanctis Dominus medijs dat viuere flammis:
Sic ſanctâ iuſtus viuet ad uſq; fide.

HVGONIS BLYTHI.

Fidus adiutor Fagius Buceri,
Sanctus Antiſtes fidei, remotis
Partibus terræ pietate notus,
Atque ſuperſtes.
Hunc quòd immites rapuère Parcæ,
Lugeat pontus, lacrymetq́; tellus:
Atq; tu ſemper tumidos profunde
Anglia planctus.

Ingratitudo benémeritorum præmium.

IOAN. LAVTERBACHII.

Ingratitudo commodantium comes.

Vt genus humanum pauit glans fagina quondam:
Quàm priùs è varijs mensa grauata cibis:
Fagius interpres sacrorum candidus, orbis:
Conditor Hebræo cui dedit ore loqui:
Pro meritis operum peragrans Sionia Tempe,
Sic auditori sacra fruenda dedit.
Haud operæ parcens, plantauit sacra docendo:
Haud æri, linguam fouit Apella tuam.
At quæ pro tanto cumulauit dona labore,
Dum sibi non studuit, sed Pietatis opi?
Ni miserans hominis sortem Buflere fuisses,
Et coniux, rerum nil tenuisset inops.
Mille reliquistis solidos, pluresq́; benigni:
Fudit in Hebræos, quos dedit ære, libros.
Quòd non incœptos absoluit cura labores,
Hunc rapuit nondum terra Britanna senem.
Quamq́; tuis fuerit studijs ingrata, sepulcro
Nudata in cineres ossa redacta manent.
Sunt ingratà pij mundo bona præstita: rectè
Tristia pro factis præmia sanctus habet.

HIER. TREVTLERI.

Contemtum nostro studiorum qui videt ævo
Prisca putet similes secla tulisse viros?
Haud reor: id solers testatur Fagius: ille
Per mala multa tuus, docte Bucere, comes.

IOACHIMVS VADIANVS MEDIcus, & Poëta.



Phœbi cultor eram, medicæ ſtudioſus & artis,
Ac melicæ: Galli Conſul in vrbe bonus.

M. D. LI.

IOACHIMVS VADIANVS SANgalli oppido Heluetiorum natus:

Poëta excellens, Mathematicus, ac præſertim
Geographus exactiſsimus:
Quod ipſius in Pomponium Melam commentarij, & trium orbis partium Epitome demonſtrant:
Medicinæ denique Doctor inſignis, publicè
in eâ Viennæ Auſtriæ adeptus
laureolam:
Adde etiam eâ tum ptudentiâ, tum integritate
vitæ præditus, ut ei patria ſummum
Magiſtratum vltrò detulerit:
Quin & Theologus ſui ſeculi eximius,
Libris contra Enthuſiaſtas ſui temporis
editis compluribus:
Opere prætereà de Sacramentis fidei Chriſtianæ ſcripto paſsim cognitus:
Lumen adeò diſciplinarum omnium
clariſsimum:
Suarum virtutum gloria fruens, iam ſenex,
placidiſsimâ feliciſsimaque morte,
beatam ſui memoriam
relinquens.
E uiuis exceſsit, anno Salutis M.D. LI.

IN IOACHIMVM VADIANVM MEdicum & Geographum.

EPIGRAMMATA.

IOANNIS CHESSELLII.

Quò tendis, Peregrine? vel quid erras
Longâ ambage diu, morasq́ perdis?
Quæ terræ loca, fluminum meatus,
Quæ vrbes, qui maris accolæ potentis:
Quà dites Asiæ patent recessus,
Aut quà Marmarici fremunt leones:
Aut cui vecta dedit puella nomen:
Terram frugiferam & viris potentem,
Quam paßim memorant sacri & profani,
Si vidisse breui iuuat libello:
Sta, pausa, requiesce lassus: ecce
Hîc stant Mercurij duces columnæ.
Infesso pede, nec labore multo,
Per terras, pelagusq́ fluctuosum
Te mirâ Vadianus arte ducet.

GEORGII FABRICII.

Tu ciues Vadiane tuos, vrbesq́ gubernas:
Non tales vates expulit vrbe Plato.

CASPARVS BRVSCHII.

Musarum Ioachime bonus, Phœbiq; sacerdos,
Atq; poëtarum rex Vadiane clues.
Vrbis honoratæ Consul tu sceptra, simulq;
Totius Heluetiæ iura superba regis:
A Philyræ quæ sunt, ad Iuræ culmina montis,
Diuitis & Rheni flumen ad vsque, lacu.

Vitæ via Christus.

IOAN. LAVTERBACHII.

Errare nescit ambulans Christo duce.

Natus honoratæ Vadianus stirpe, priori
Tempore quam dignus nobilitárat honos:
Splendidior fieret Musis ut cultus & arte,
Adderet & magno maius honore decus:
Tractauit medicas celebris feliciter artes:
Ingenij varias dote reliquit opes:
Explicuitq; Melam, terræ descripsit & orbem:
Lux ut Apostolicis esset aperta libris.
Hinc satur annorum, senij pertæsus & æui,
Ascendit Christo saluus in astra duce.
Credulus astra petens Christo duce & auspice Christo,
Haud errans rectis finibus, astra petit.

GASPAR HEDIO ECCLES.
Argent. Paſtor.



Si vocem fortaſſe meam Argentina requiris:
Sit viuæ vocis vox tibi muta loco.

M. D. LII.

GASPAR HEDIO GERMANVS
Etlingæ honeſtâ natus familiâ:

Friburgi primò, dein Baſileæ opt. art. ſtudijs eruditus:

Illîc Magiſtri Philoſophiæ, hîc Doctoris Theologiæ nomen adeptus:

Ac deinceps, vixdum renatâ in Germania Euangelij luce, Moguntinus Eccleſiaſtes conſtitutus, anno M. D. XX.

Pòſt veritatis luce illuſtratus diuinitùs,

M. Zellio, & M. Bucero tunc primùm Argentinæ verum inſtaurantibus Chriſtianiſmum, adiutor & collega datus, anno M. D. XXIX.

Summi Concinator Templi, per totos annos XXIII. ſidelis pariter ac diligens:

Summus præterea Philiſtor & Polyhiſtor fide digniſſ.

Obijt in Chriſto feliciter, magno ſui deſiderio cunctis relicto. XVII. Octobr. M. D. LII.

IN GASPARVM HEDIONEM Theologum.

EPIGRAMMATA.

MARTINI CRVSII.

Ἡδίων τὸ φάος λίπεν ἡδυεπὴς ἀγορητής.
αἲ αἲ κάρτα θανὼν ἡδὺς ἀωρὶ γέρων.
κηρύξας Χριστοῦ δὴν πιστῶς ἡδέα μῦθον,
καὶ πιστευσάμενος σώφρονι τόνδε βίῳ.
ἐν τίνι παιδείᾳ τοίη νῦν αὖτις ἐσεῖται;
τὶς δ' ἑρμηνεύσει βιβλία τόσσα πάλιν:
πρὸς τίν' ἀγωγὸν ἔτι σφι νέοι βλέψουσι πένητες,
ἱέμενοι μαθέειν, οἵτ' φίλον ἕρκος ὅγε:
ὢ κακότης αἰνή, μῆτερ θυμαλγέος ἄτης.
σοὶ κολέων, τοῖον φῶτα κάλυψε θεός.
ἀλλ' ὀλίγοι βραδέων ἀνθρώπων αὐτὸ νοοῦσι,
καὶ πλείστοις τὸ δοκεῖ δρᾷν φύσις, ἠὲ τύχη.
Ἡδίων σὺ δὲ χαῖρε, κακῶν προπεφυγμέν' ἀέθλων,
εὐνοίῃ βουλῇ ἀθανάτοιο θεοῦ.
ἡδόμενος δὲ μέως μαλακῆς ἐνὶ κεύθεσιν αἴης,
πᾶσι σὺν ἐκλεκτοῖς ὕπνον ἴαυε γλυκύν.
μέσφα κέ σ' ἀνστήσας νεκυοσσόος αὖθις Ἰησοῦς,
εἰς ἕδος ἀλήκτου ἡδὺ βίοιο τιθῇ.

HIER. TREVTLERI.

Hunc etiam reducis, pressâ caligine, verbi
Producis testem, maxime Christe, bonum
Plurima quò viuant sancti monumenta laboris,
Fac vigeat verbi lux recidiua tui.

NICOLAI REVSNERI.

Seu vis historicus, fidei seu doctor haberi
Magne Hegio, rectè nomen utrumq; geris.
Te fidei sanctæ vocat Argentina fidelem
Mysten, & vocem laudat amatq́; tuam.
Te legit historicum Germania tota fidelem:
Quum legit, historiam laudat amatq́; tuam.
Mortuus ut sis ergo, superstes viuis in orbe
In doctis, hæres ætheris ipse, libris.

GEORGII FABRICII.

Tu quoque committis Germanis Hedio chartis
Quod fit, quodq; actum condito ab orbe fuit.

PANTAL. CANDIDI.

Atgentina tuis Hedio pia dogmata templis,
Sincerâ docuit relligione Dei:
Quumq́; tibi pietas sit priscaq́; gloria cœli:
Non poteris tanti nou meminisse viri.

AEGIDII PERIANDRI.


Historias arcto conanti ducere filo,
Ipse dedit proprias Phœbus habere manus.

Iosephi à Pinu Eteostichon.

Extulit ora sequens Octobris Lucifer Idus:
Hedio vbi Parcæ lege solutus obit.

170

IOANNES COCHLAEVS
Theologus Pontificius.



Patria Noris erat: sed mens diuersa fidesq́;:
Pontificum calamo tutor, & ore fidem.


M. D. LII.

IOANNES COCHLAEVS NORI-
bergâ ciuitate liberâ Imperiali natus:
Multijugâ instructus eruditione, & sacris
totus deditus literis:
Pontificiæ religionis ab extremâ pueritiâ secta-
tor perseuerantissimus:
Moguntiæ primò, pòst Vratislauiæ Cano-
nicus factus:
Magni illius Lutheri & Melanthonis, adeoque
Orthodoxæ fidei Euangelicæ hostis
in omni vitâ acerrimus:
Summo & inexpugnabili cum his dimicans odio
in comitijs Imperij, & colloquijs.
VVormaciæ, Augustæ, Ratisponæ:
Multis prætereà & varijs, pro Canonicæ scriptu-
ræ, & Catholicæ (si Dîs placet) Ecclesiæ
auctoritate, libris in publi-
cum propositis:
Obijt Vratislauiæ, anno M.D.LII.

NICOLAI REVSNERI.

Si tua tanta fides, audacia quanta fuisset:
Si pietas, & si relligionis amor:
Par reliquis Cochlæe fores, aut maior honore:
Lædere quos scriptis summa cupido fuit.
Te tamen annumerat tantis quoq; Musa merentem
Luminibus: virtus quòd vel in hoste placet.
Lilia sic inter crescens vrtica, rosasq;
Germinat, & fruitur floris honore boni.

SEBASTIANVS MVNSTERVS
Coſmographus.



Sat linguæ fuerat fontes mihi tradere ſanctæ:
Scribere ſed mundi me iuuat hiſtoriam.

M. D. LII.

SEBASTIANVS MVNSTERVS INGELhemij natus, anno M.CCCC.LXXXIX.

Matheſeos Geographiæque, & in primis Hebræę linguæ in Academiâ Heidelberg. ſtudioſiſſ.

Profeſſus ob id aliquandiu Franciſcanorum ordinem Tubingæ:

Quò ſtudijs huiuſcemodi ſibi vacare liceret impenſiùs:

Præceptore vſus Ioan. Stoflero Mathematico excellentiſſ.

Demum ſanctæ Linguæ Profeſſor Baſileæ conſtitutus:

Plurimis tum in ſacras literas, tùm in varias Matheſeos partes, ſcriptis in publicum editis:

Ac præſertim laborioſiſſ. illo Coſmographiæ opere, quo duce peregrinari terrarum orbem, domi etiam manendo, licet, egregiè nobilitatus:

Germanus Esdras, Straboque:

Immortali dignus memoriâ:

Quam ipſe tot regionum, ciuitatum, familiarum, virorum denique nominibus pro virili conciliauit:

Peſte correptus, ſolennem Aſcenſ. Domin. Memor.

Anno Sal. M.D.LII. Aet. LXIII. morte piâ illuſtrauit.

Ioſephi à Pinu Eteoſtichon.

Quintilis fuerant luces ut quinque peractæ:
Munſtere è viuis te cita Parca rapit.

IN SEBASTIANVM MVNSTERVM Coſmographum.

EPIGRAMMATA.

Notabilia grata.

IOAN. LAVTERBACHII.

Gratum quod eruditionem comparat.

Oſtendit faciem SEBASTIANI
MVNSTERI ſenis hæc tabella: doctus
Qui ſex Coſmographos libros Mineruâ
Conſcripſit facili: quibus notatu
Quæ ſunt digna, refert, in orbe toto:
Siue hæc vecta ſuo tenet iuuenco:
Siue hæc dant Aſiæ potentis oræ:
Siue hæc Africa fertilis dat agris.
In primis docet euidenter omne
Quod Germania continet notatu
Dignum: continet eruditione
Quod Germania grandiore dignum.
Gratum eſt, quicquid & eruditione
Dignum, vnaq́ notatione dignum eſt.

FR. RAPHELENGII.

Si doctus cautum celebrauit Homerus Vlyſſem,
Quòd varias gentes, varios noſſet populorum
Mores: quis te non, Munſtere, celebret ametq́,
Qui noſti hæc, quin & toti nota efficis orbi?

PETRVS APIANVS
Mathematicus.




Gaudeat ærisonus Ptolomæi nomine Nilus:
Certè Germanis sum Ptolomæus ego.

M. D. LII.

PETRVS APIANVS BENEVICIVS
Leiſnicæ natus in Miſnia:

Aſtronomus & Coſmographus ſui ſeculi inter
primos ſummus:
Mathematicarum diſciplinarum in Academiâ
Ingolſtad. profeſſor atque illuſtrator
maximus:
Carolo V. Cæſ. Aug. ob id acceptus ha-
bitus mirificè:
A quo, ob fidem magiſterij præſtitam, & Eque-
ſtris dignitatis ornatus titulo, & hono-
ribus auctus eſt ampliſsimis:
Aſtronomicis inſtrumentis inueniendis
admodum inſignis:
Opere egregio illo Coſmographico, vnà cum
alijs quibusdam eiusdem generis mo-
nimentis, poſt ſe relicto:
Pro ſe etiam filio hærede ſuæ diſciplinæ
Philippo in terris ſubſtituto:
Mortalibus ſolutus exuuijs in cœlum redijt,
animo immortalis, Anno M. D. LII.
Aprilis die XXI.



IN PETRVM APIANVM MAthematicum.

ANONYMI.

Mellis liquentis ſedulæ
Matres mihi dedêre Apes
Cognomen orbi non nouum.
Graphicè ipſe terræ pendulum
Suis globum ſcripſi artibus,
Incognitiq́ orbis ſinus.

Aſtronomia liberalis.
IOAN. LAVTERBACHII.

Cultoribus dant nomen aſtra ſedulis.

Dulce tibi nomen quòd apes, Apiane, dederunt,
Petraq́, nec pluuijs, nec ſuperanda Notis.
Non mirum, conſtans poſtquā ſcrutatus es aſtra:
Aſtra polis motu quæ patuêre ſuo.
A te dum terræ globus eſt deſcriptus, & omne
Quod vetus amplexu, quod nouus orbis habet.
Tu meritò rarâ mellitus in arte fuiſti
Magnis Cæſaribus, Principibusq́ viris.
Donec erit terræ globus, aſtraq́ cognita motu:
Semper in orbe tuum viuet vbique decus.
De terris meriti benè, de ſplendentibus aſtris,
Aeternant partum terraq́ & aſtra decus.

EIVSDEM.

Hoc Apianus habet, quod erat mortale, sepulcro:
Immortale Deo tempora pacis agit.
Sic capit antè pio qui misit in astra labore:
Sub pedibus felix nunc videt astra suis.
Astra videt felix, quisquis demisit in astra .
Et caput, & studuit quaerere mente Deum.

ADAMI SIBERI.

Hos Apianus habet tumulos: da pinguia thura,
Sparge rosas, manes ac venerare pios.
Edidit hunc, nequijt quâ viuere Misena: semper
Praestantes agitant fata sinistra viros.
Excepit tellus, & fouit Norica: clarae
Et famae docto nomina ferre dedit.
Iura poli, coeliq; vias, & sidera nouit:
Trinacrio, celebri non minor arte, sene.
Fata resignauit, clades instare futuras
Pandit, & heu meruit vocis habere fidem.
Nunc coelo positus, quae mente solebat adire,
Omnia sub pedibus lucida signa videt.
Tu paßis luge Germania moesta capillis:
Arte tibi hac similem non feret ulla dies.

AEGIDII PERIANDRI.

Quod te fert coelum, fortis priùs ipse tulisti:
Te quoque supposito sidera fulsit Atlas.
Quae tulit ingenio forti, mens astra tenetur
Sideribus: tumulus corpus inane tenet.

GEORGIVS PRINCEPS ANHALTINVS

Aſcaniæ Comes, Præpoſitus Magdeburgenſis.



Aſcaniæ Princeps, pietatis idoneus auctor,
Illuſtris præco glorior eſſe Dei.

M. D. LIII.

GEORGIVS, DEI GRATIA, ILLVSTRISſimis Germaniæ principibus, familia antiquiſsimæ nobilitatis prognatus:

Patre Erneſto, Principe Anhaltino, Comite Aſcaniæ, Bernburgi & Serueſtæ Domino, anno M. D. VII.
Princeps omnibus animi & corporis dotibus egregiè ornatus:
Primis ſtudiorum rudimentis Vitebergæ poſitis feliciter:
Quum rariſſ. à multis ſeculis exemplo, ſacroſ. Theologiæ totum ſeſe addixiſſet:
Magdeburgenſis ac Miſnenſis Electus Eccleſiæ Præpoſitus:
Optimi & Principis, & Paſtoris, perfunctus munere:
Magnâ laude, & auctoritate propemodum diuinâ:
Quò felices illius ſubditi haberent, quem & in terris dominum agnoſcerent, & ut ducem in cœlum præeuntem ſequerentur:
Singulari omnium virtutum ſanctiſſ. exemplo, ſui ordinis hominibus in medium propoſito:
Quin & publicis ingenij præſtantis, & ſanctæ operæ monimentis apud poſteros, relictis quàm plurimis:
Obijt feliciſsimâ morte, completo anno ætatis XLVI. XV. KL. Nouemb. Anno M. D. LIII.

IN ILLVSTREM DEI PRAECONEM Georgium Principem Anhaltinum,& Aſcanium.

EPIGRAMMATA.

PHILIPPI MELANTHONIS.

Aſcaniæ ſtirpis virtus eſt clara triumphis,
Ordine quos numerant ſecula longa patrum.
Cæſar in Adriaco quum geſſit littore bellum,
Et fregit Venetas Maximilianus opes:
Dux erat Aſcaniâ natus de ſtirpe Rodolphus:
Fixit & in Veneto multa trophæa ſolo.
Nunc ad maiorum decora hæc laus magna Georgi
Accedit verè principe digna viro:
Quòd ſic doctrinam reliquis virtutibus addis:
Vt verum celebres pectore & ore Deum:
Et Chriſti illuſtres ingentia munera ſcriptis:
Iuſtificâ ſupplex quæ capis ipſe fide:
Exemploq́ Eſdræ populum dum iure gubernas:
Doctrinæ ſpargis ſemina pura ſimul.
Summe Deus, ſolus qui das felicia regna,
Aſcanios fratres, te precor, ipſe regas.

IOANNIS LAVTERBACHII.

Clarus Anhaltinâ de ſtirpe Georgius heros,
Cui nulla è Ducibus ſecla tulêre parem:
Hebræo doctus, doctus ſermone Pelaſgo,
Auſonioq́ fuit totius orbis amor.

Non modò purgatâ iam relligione, ſalubre
Agnouit ſectans mente ſalutis iter:
Defendit ſcriptis quoque coram Cæſare magno:
Nec veram metuit voce docere fidem.
Quàm ſanctus fuerit virtutum cultor, honore
Cum magno florens moribus aula docet.
Ingenuo gratus nullis non vixit amore,
Plebeijs paſsim, principibusq; viris.
Iuſtitiæ leges, obſeruantiſsimus æqui
Et pacis coluit quàm ſtudioſus opes?
Hinc tantam meruit victuro nomine famam:
Quam maculis poterit nulla notare dies.
Effigiem ſpecta pictoris, lucet in ore
Relligio, virtus, gratia, fama, Themis.

PHILIPPI MELANTHONIS.

Principis Aſcaniâ nati de ſtirpe Georgî
Quem cernis, tumulus proximus oſſa legit.
Huic fuit Erneſtus genitor, qui pacis amore
Promeruit Patriæ totius eſſe Pater.
Matris erat caſtæ Monſterbergenſis origo:
Sincerâ coluit quæ pietate Deum.
Aſcaniæ gentis virtus eſt clara triumphis:
Ordine quos numerant ſecula longa patrum.
Sed fuit huic fontes doctrinæ diſcere cura,
Quam nobis Gnatus tradidit ipſe Dei.

Hoc ad maiorum decus addidit inclyta facta:
Præbuit & patriæ commoda magna suæ.
Esdras ceu quondam populo ius dixit, & idem
Interpres Solymâ legis in vrbe fuit.
Principis hic munus simul & pastoris obiuit:
Ipsius & mentem rexit, & ora Deus:
Iustificaq́ fide capiens tua munera Christe:
Solius est cuius parta cruore salus:
Verâ luce Deum agnouit, precibusq́ vocauit:
Numinibus fictis mens inimica fuit:
Nec virtutum vmbras habuit, sed pectora rexit
Ipse Dei viuens adsimilata ΛΟΓΟΣ.
Vrbibus in multis, flauus quas alluit Albis,
Et quas cærulei præterit vnda Salæ:
Agmina collegit Christum celebrantia: spargens
Pura Euangelij semina voce suâ.
Fidus & ætati venienti testis ut esset
De Christo, patriæ publica scripta dedit.
Heîc frater lacrymans Ioachimus condidit ossa:
Viuit in aspectu mens, fruiturq́, Dei.
O Deus, Ascaniam stirpem rege, numine serua:
Nulla venit nobis te nisi dante salus.

GEORG. FABRICII.

Ascanio Princeps de stemmate nate Georgi:
Inter sidereos gloria rara patres.
Tu Christum scriptisq́ doces, tu voce fateris:
Tu celebras docto per sacra templa sono.

Extant & meriti monumenta ſalubria tanti:
O rarum ſacri Principis ingenium.
Aſſyrium, tumbam circum, tibi ſpiret amomum:
Creſcat & in tepido coſtus Eoa ſolo.

ADAMI SIBERI.

Hic tegit immiti conſumpti morte Georgi,
Gentis Anhaltinæ Principis, oſſa lapis:
Eſſet imaginibus qui quamuis magnus auorum
(Nempe Alberte tuum non latet Vrſe genus)
Dotibus ingenij ſummi præſtantibus auctus:
Virtutum maior nobilitate fuit.
Non illi linguæ, non culti pectoris artes:
Defuit aut docto Principe dignus honos.
Dum clarus titulo, dum ſacrâ ſede locatus,
Præpoſiti geminum nomine munus habet.
Miſena quaq́; ſita eſt, quà Saxo fortis in armis,
Et de Virginibus nomina dicta tenet.
At Cybelesq́; choros, Corybantiaq́; æra peroſus:
(O quantum eſt vni velle placere Deo?)
Sancta ſalutiferi magno renouata Luthero
(Dire quid hoc frontem nomine Papa trahis)
Sancta ſalutiferi complexus dogmata verbi,
Orator Chriſti pauperis eſſe tulit.
In manibus facunda viri ſunt ſcripta diſerti:
Illum quæ nullâ parte latere ſinent.
Spiritus æthereas liber remeauit ad arces:
Cumq́; pijs lætæ tempora pacis agit.

Ceu lecto gelidum requiescit corpus in urnâ,
Optatus venias dum bone Christe tuis.

N. REVSNERI.

Quò virtus maior Pietas est sancta, Georgi,
Ascaniæ, Princeps Maxime, gentis amor:
Maior eò tuus exstat honos: tua gloria cœlo
Peruolat, æternos non moritura dies.
Tu patriæ princeps, populi tu pastor utrunque
Sanctus eras: vitâ castus, amore pius:
Qualis erat Solymâ quodam Esdras doctor in vrbe:
Iuridicus populi nec minùs ipse sui.
Lucæ clara dies fato, fit denique fato
Clara tuo: cuius fama perennis erit.

IOAN. LAVTERBACHII.

Non tegitur splendens obscurâ nocte lucerna:
Sed candelabris ornat aperta lares.
Relligione piâ Princeps ornatus & arte,
Iustitiam prudens qui ratione fouet:
Est ornamentum Christi memorabile cœtus:
Vnde pius quiuis gaudia lætus habet:
Non sibi, non proprio, ast homini virtutibus omni
Consulit, & lucem spargit vbique suam.
Quum talis Princeps sis illustrissime, lucem
Qui radians toto spargis in orbe tuam:
Nomen & hoc partum, venturo & viuet in orbe:
Aeterno iusti nomen honore manet.

IOANNES AEPINVS
Theologus.



Sacrorum antiſtes Hammonis in vrbe fidelis
Illuſtro ſummi dogmata vera Dei.

M. D. LIII.

IOANNES AEPINVS HAMBVR-
gæ natus ciuitate Saxoniæ liberâ:
Præter multiplicem linguarum & artium humanitatis eruditionem:
Primus ex Euangelicis Vitebergæ, vnà cum Gasp. Crucigero & Io. Bugenhagio, Sacros. Theol. Doctor salutatus, anno M. D. XXX.
Supremus Eccles. Hamburgensis Pastor & Antistes posteà ordinatus:
Cui præfuit annos xx. circiter, summâ cum fide & diligentiâ:
Saxonicar. Eccles. fidem ac religionem sacrosanctam & intaminatam conseruans perpetuò;
DIVINO NVMINE:
Contra Edictum Cæsareum, Augustæ de re Ecclesiasticâ,
INTERIM,
Donec Synodus decerneret Oecumenica, informandâ, promulgatum, anno M. D. XLVIII.
Plurimis de religione scriptis libris optimè de Repub. Christianâ meritus:
Obijt Hamburgi M. D. LIII. Aet. LIIII. III. Idus Maij.

IN IOANNEM AEPINVM.


PHILIPPI MELANTHONIS.

Hæc est Aepini Doctoris imago Ioannis:
Qui docuit castè dogmata pura Dei:
Saxonicoq́ pios cœtus in littore rexit:
Fulsit & exemplis integra vita bonis.
Vrbis vbi Hamburgæ stant ardua mœnia claræ,
Massyliæ veteris quæ decus omne tenet:
Et superat meliore bono, quòd præbet honestum,
Et fidum hospitium, maxime Christe, tibi.
Inde etiam Aepinus vigilans & pectore firmo,
Errorum fucos depulit, atq; dolos.
Ergo Deo grates tanto pro munere dico:
Vtq́ regat semper pectora nostra, peto:
Et faciat, semper nos vnum ut simus in ipso:
Aeterni Gnatus quod petit ipse Patris.

NICOLAI REVSNERI.

Libera vox, & mens constans tibi semper, et ardens
Pectus erat verâ cognitione Dei:
Sancte Aepine Dei præco: sacra pagina monstrat
Plurima, doctrinæ testis vbiq; tuæ.
Non fraus Pontificum potuit, vel Cæsaris ira,
Aut os, aut pectus grande mouere loco.
Saluificam tibi cura fidem manet vna tueri
Christi, qui nostræ jura salutis habet.
Quæ cathedram viuo, morienti Patria tumbam
Dat quoque: mens cœlo libera viuit adhuc.

IVSTVS IONAS
S. Theol. D.



Myſtes Iuris eram: ſacrorum denique myſten,
Iuris diuini ſancta magiſtra, facit.

M. D. LV.

IVSTVS IONAS NORTHVSAE, VEteri Cheruſcorum ciuitate imperiali, natus anno M. CCCC. XCIII.

Poſt prima liberalium artium percepta ſtudia:
Ex Iuris humani conſulto, ſac. Theologiæ,
quæ iuris diuini magiſtra eſt, Doctor factus clariſſ.
Vir ſummi ingenij, & induſtriæ magnæ:
Profeſſor Liter. Diuinarum, ac dein Præpoſitus templi Vitebergæ conſtitutus:
Magni illius Principis EL. Ioan. Friderici filiorum, in acerrimis illis tempeſtatib. comes conſtantiſſ.
Reſtituendæ in Saxonia Eccleſiæ fidus M. Lutheri adminiſter & παραστάτης:
Omnium rerum in causâ religionis per Germaniam geſtarum adiutor ipſe, & conſcius:
Demum Antiſtes Eccleſiæ conſtitutus in Salinis Saxonicis, & totius illius diæceſeos inſpector, ac reformator:
In cuius etiam veluti ſinu M. Lutherus animam DEO commendauit ſuam:
Tandem Eisfeldæ in Francia ſancti perfunctus Paſtoris munere,
Summâ cum pietate vitæque innocentia:
Obijt ſanctà morte Anno Salutis M. D. LV. Aet. LXIII. IX. Octobris.

Ioſephi à Pinu Eteoſtichon.

Iuſtus vbi occubuit perculſus funere Ionas,
Frons cum Sole Nepæ Tethyos intrat aquas.

IN IVSTVM IONAM Theologum.

EPIGRAMMATA.

Eobani Hessi.

Linguâ nobilis, ore fulminator,
Cui mentem genius dedit beatam,
Dignum cœlo animum parente: Iuris
Humani simul & sacri peritus,
Et vates bonus, & Sophus disertus:
Hic est nomine IVSTVS ipse IONAS.

Ioan. Stigelii.

Quæ tibi sit doctæ IONA facundia linguæ,
Iampridem notum Rhenus & Ister habent.
Largior à summo ceu defluit æthere nimbus:
Sic fluit eloquij copia larga tui,
Nam tua seu teneat suspensam concio plebem:
Vix puto sic aliquem Nestora posse loqui.
Seu reddas Latio sanctos sermone Prophetas,
Pendet & à verbo docta caterua tuo,
Seu tua victuris mandes pia dogmata chartis:
Eloquij currunt flumina magna tui.
Qualia lactifluo depromit Liuius ore:
Conditor historiæ Roma vetusta tuæ.
Conseris at quoties cum magno verba Philippo,
Crediderim Crassum cum Cicerono loqui.

Quòd si fert animus facundo ludere versu,
Carmine par magnis vatibus esse potes:
Siue iuuat tacitas naturæ inquirere causas:
Hîc etiam ingenij vena diserta tui est.
Quæ sit & ingenuæ prorsus non improba mentis,
Atque omni grauitas asperitate carens:
Quis sit amor, quæ sit pietas, quis candor in omnes
Vix elegis videor dicere posse meis.
Officia officijs, & amore lucraris amorem:
Vtq; hominum celebret te genus omne, facis.
Viue diu felix, multosq; superstes in annos,
Perpetuo vatum carmine digne cani.

IN EIVSDEM TVMVLVM.

IOAN. STIGELII.

Tu quoque magnanimi comes explorate Lutheri,
Iustificam IONA docte docere fidem:
Quàm benè deponens onerosæ tædia vitæ,
Nunc alio meliùs viuis in orbe senex.
Sicut adhærentem latus ad sociale docentis
A sancto nunquam vate retraxit amor:
Sic monstrata sequens noti vestigia Christi,
Sparsisti vnanimi dogmata vera sono.
Pugnantem calamo, facundoq; ore tonantem
Te coluit veris turba dicata bonis:
Quum lacrymis iret lugens viridantibus Albis:
Fleret & adflictum Sennonis ora decus:

Te populoſa piè complexa eſt Hala docentem,
Atque aliò fato nollet abiſſe ſuo.
Excepit lætis venientem Francia votis:
Doctrinâ nondum eſt quæ ſaturata tuâ.
Tu quoque fodiſti fontes in valle doloris:
Adfluit vnde animis triſtibus orta ſalus.
Ergo coronatus cœleſtia præmia doctor,
Ante Deum, Chriſti munere, iuſtus habes.
Inter & heroas qui ſicut ſidera fulgent,
Perpetuus cœli gaudia ciuis agis.
Sic age, viue, vale vitâ meliore ſuperſtes:
Sola eſt in Chriſto viuere vita pijs.

EIVSDEM.

Nomen erat Iuſto: cognomen nobile Ionæ:
Cura Euangelium grata docere mihi.
Vrbs Hieræ primùm Muſas me ſouit amantem:
Mox clarum eloquij viribus Albis amat:
Addictum celebri dum me videt ille Luthero:
Ingenio merui nomen habere meo.
Hinc iuſta ad celebres egit me cauſa Salinas:
Doctorem excepit Francia læta ſenem.
Vt docui, & vixi, monuit velut antè Lutherus:
Pectore ſaluificam faſſus & ore fidem.
Grata meos lêgit cineres Eſueldia: mortem
Ante homines obij: viuo ſed ante Deum.

GEORGII FABRICII.

Non hac est Iusti Ionæ sub rupe sepulcrum:
Verùm est credentis molle cubile viri.
Ille pius Christum docuit: clausumq́; salutis
Monstrauit, simul hoc ipse secutus iter.
In Christo cubat hîc: in Christo vita resurget:
Et promissa polo gaudia certa feret.

ADAMI SIBERI.

Sepulcri venerare marmor huius,
Quo IONAS *cubat ille* IVSTVS: *ingens*
Musarum decus, eruditioris
Sincerus Pietatis & magister.
Hunc Northusa dedit: docentis ora
Est miratus & approbauit ipse
Lutherus: dolet ac gemit paterq́;
Albis, Sala paterq́; flent ademptum
Omnes iudicij elegantioris,
Et boniq́; viri, pijq́;: cœlo
Ille, colloquio Dei, receptus,
Et Christi fruitur beatus ore.

NICOLAI REVSNERI.

Ius, Sophia, eloquium, IONA, *simul addita Musa,*
Quamuis emeritum te super astra ferunt:
Te Pietas tamen ipsa magis, Regina priorum,
Sanctaq́; Relligio laudat, & vsque beat:


Quam conſtans animi, magno præeunte Luthero,
Ritè doces: & ius non colis ipſe magis.
Fidus & inuictus per ſumma pericla Lutheri
Fis comes, & vitæ teſtis, & inde necis.
Patria dat cunas Nörthuſa, Esfelda ſepulcrum:
Leucoris eſt fidei teſtis, & Hala tuæ.

Fide Iuſtitia.

IOAN. LAVTERBACHII.

Coram Deo juſtus, fide Chriſtum colens.

Doctrinâ iuſtus, iuſtus ſermone, decoro
In vitæ iuſtus, iuſtus amicitiât
Iudicio iuſtus, ſincero iuſtus anore,
Conſilijs iuſtus, iuſtus in officio.
Dum cunctis iuſtus rebus facis omnia iuſtè:
Rectè à iuſtitià nobile nomen habes.
Iuſtitiam iuſtus colis, in Chriſtiq; ſalute
Iuſtitiam monſtras omnibus eſſe fide.
Iuſtitiam fidei iuſtus ſine fine doceto:
Iuſtitiâ iuſtus regna beata coles.
Iuſtitiam fidei Chriſto quicunque ſalute
Aut docet, aut didicit, gaudia ſaluus habet.



VVOLFGANGVS LAZIVS
Historicus Cæs.



Seu Romana placet tibi, seu Germanica facta
Noscere, dulce leges me duce certus iter.

M. D. LV.

VVOLFGANGVS LAZIVS VIENnæ Auſtriæ natus, anno M.D.XIIII.

Patre Simone Medico Doctore & Poliatro:
Medicus & ipſe Doctor, & Philoſophus excellens:
Philiſtor inprimis & Polyhiſtor maximus:
Rerum Romanarum & Germanicarum ſcriptor celeberrimus:
Patriæ ſuæ Viennæ, & totius Auſtriæ illuſtrator fideliſſ.
Totius Antiquitatis indagator ſolertiſſ.
A Ferdinando Cæſ. Aug. non modò in conſilium, verùm etiam ordinem allectus Equeſtrem:
Multis præterea & amplis ab eodem honorum inſignibus nobilitatus:
Obijt diem ſuum Quinquagenarius in patriâ, Anno Salutis M.D.LV.

GEORGII CALAMINI.

Vt ſuggillari ſe Lazius audijt aſtris:
Vmbris nonne meis liuide parcis ait?
Quid ſi non licuit libuïtúe referre, quod optas:
Nec generis potui facta videre tui.
Fortè futura vehent te, Liuide, ſecula: neſcia
Genti principium cuique fuiſſe ſuum.

IN VVOLFGANGVM LAZIVM Cæſ. Hiſtoricum.

Ioan. Lavterbachii.

Liuius hiſtoriæ Princeps, quo Roma triumphat,
Imperij florens fama quod orbe viget:
Quum patriâ vellet moriens diſcedere terra,
Elyſiasq́ domos viſere, lætus ait:
Aoniæ, ſummi proles Iouis inclyta, Muſæ:
Et tu Pierio Pallas amata gregi:
Romanam veſtro deſcripſi munere gentem,
Hactenus heroum fortia facta dedi.
Nunc mea cum nymphis æternùm turba valete:
Nobilis æternùm tu quoque Roma vale.
Scripta triumphantes contingunt noſtra Monarchas:
Defunctus vitâ cum meliore labor.
Lazius, hiſtoricas poſtremo tempore leges
Obſeruans, aliud texere perget opus.
Eruet Italiæ denſis monimenta tenebris,
Quæq́ velut mediâ nocte ſepulta iacent.
Dixit, & æterno compreßit lumina ſomno:
Elyſijque peteus culta, reliquit humum.
Nunc acres ſubeunt tua LAZI pectora curæ:
Vt ſtudijs ſurgat Roma renata tuis.
Liuius ut multos extendit nomen in annos:
Continget longos ſic tua fama dies.
Omnia conſumit. vel ſint adamantina, tempus:
Scripta vetuſtatis nuncia tuta manent.

EIVSDEM.

Romanæ quæris celebratos urbis honores,
Terrarum quondam quæ caput orbe fuit?
Lazius historiæ veterum celeberrimus auctor,
De Româ scripsit quæ dominante, vide.
Ausoniæ fines, celebrem grauitate Senatum,
Præclaros bello militiaq; duces:
Difficiles pugnas, legiones, arma, cohortes,
Classes, hostili signa relata grege:
Diuersos ludos, varia ornamenta, sacrorum
Ritus, gentiles qui coluêre deos:
Hæc super à dominâ deductos urbe colonos
Cognosces: viuas ne rudis historiæ.
Historiæ præstant vitæ præcepta regendæ:
Alterius discas cautus ut esse malo.
Historiæ præstant, rerum mens gnara priorum,
Vt seræ curam posteritatis agat.

IOANNIS ROSINI.

Illustres quæ terra duces tulit Austria, summis
Heroas habiles & tulit imperijs:
Luce suâ fraudata foret, ni gratus alumnam
Excoleres, tenebris erueresq; tuam.
Iam licet exiguâ per te spectare tabellâ,
Impositas arces montibus aërijs:
Flumina quæ properent medio miscerier Istro:
Auctior arentem quò riget Hungariam.

Et quæ clarum incunabula læta virorum:
Quorum posteritas gestit imaginibus.
Hic Ceres, hic mitis vestit fœcunda Lyæus
Aequora, formoso condecorata croco.
An tu plus igitur patriæ, vel debeat illa
Plura tibi, dubito: par utriusque decus.

Georg. Logi Eq. Sil.

Pannoniæ tepido tellus prædiues ab Austro,
Austria cui nomen nobilis aura dedit:
Tot regum fœcunda parens, tot quæ dedit orbi,
Et dominos porrò tempus in omne dabit.
Fœcunda ingeniјs quamuis tot corda virorum
Docta dedit, quorum nomina clara vigent:
Hanc tamẽ ante alios tam pulcrè illustrat & ornat
Lazius, Austriaci fama decusq; soli.
Ipse suas artes docuit quem magnus Apollo:
Et geminæ hinc cinxit frondis honore comam,
Namque idem medica ante alios excellit in arte,
Et canit Aonio carmina digna choro.
Quin mundi cœliq; vias, & sidera nouit:
Terrarum & pulcras diuidit arte plagas.
Idem & res gestas facundo detonat ore:
Illustrat patriæ dum monimenta suæ.
Subq; oculis illam tabulâ tibi ponit in arcta:
Absens præsentem ut cernere ritè queas.
Nomine quo multũ patria hæc sua debet alumno:
Quæ non ingratum, degeneremq; tulit.


Debebunt reges illi, Germania & ingens,
Res geſtas quorum, & nomina priſca canit.

IOAN. SYLVESTRI.

Proſopopoeia Viennæ.

Vrbes egregias inter, & inclytas
Sublimi ferio, ſidera vertice:
Viennæq; fruor nomine nunc, priùs
Quum certum Fabiana
Nomen caſtra darent mihi.
Gaudebam titulo, nec minùs alteri
Felici auſpicio ſcilicet indito:
Quod ſucceſſus idem comprobat optimus
Rerum: nam placuit mox
Vt Vindobona dicerer.
Me ciues alij mœnibus optimi
Ornant: ingenij dotibus aſt meus,
Quas nulla poterunt diruere hinc vices
Rerum, ducis alumnus
Doctor Lazius optimus.
Ergo quem genui, quem gremio tuli,
Lucem cui tribui, quem ſimul extuli,
Vt ſcriptis peperit perpetuam ſibi
Vitam, ſic mihi viuens
Viennæ dedit. hanc ſuæ.

CONRADVS PELLICANVS
Theologus Tigurinus.



Quàm sanctæ fuerim linguæ, fideiq́; peritus,
Scripta probant: paßim cætera fama canit.

M. D. LV.

CONRADVS PELLICANVS RVbeaquensis Alsatus:

Primis iactis studiorum fundamentis,

Præclarâ Heidelbergæ ac Basileæ in artibus & linguis navatâ operâ:

Quarum discendarum studio ordinem Franciscanorum Basileæ aliquandiu professus:

Mox eo abdicato, veritate Euangelicæ doctrinæ cognitâ,

Linguæ præsertim Ebrææ solidam adeptus cognitionem:

Sacrarum Literarum Basileæ primùm, deinde Tiguri Professor annis multis perhonorificè habitus:

Præclaris etiam in vniuersum sacrarum literarum corpus scriptis editis factus celeberr.

Præter eruditionem singularem,

Maximâ vitæ integritate, summaque vir modestiâ præditus:

In quâ ad extremam vsque senectam perseuerans, nemini grauis, omnibus gratus,

Migrauit ex hac vita feliciter Tiguri, anno M.D.LV.

IN CONRADVM PELLICANVM Theologum.

Epigrammata.

P. CANDIDI.


Quâ superûm quondam cœlesti ex æthere linguâ
Affatus sanctos est Pater ipse patres:
Exactum callens hanc Pellicanus ad vnguem,
Cumq́ Deo potuit, cum superisq́ loqui.
Macte vir ingenio: te sacri interprete libri
Sunt facti illustres iam magis atque magis.

AEGIDII PERIANDRI.

Hebræam nullo poteras proferre magistro
Linguam, quum Graiâ gratus in arte fores.
Ostendit liquido manans oratio riuo:
Quàm fuerit terno Teuto sub ore potens.



IOANNES SLEIDANVS Historicus.



Sleida dedit vitam: tumulum Argentina domumq́;
Relligio per me Teutona nota viget.

M. D. LVI.

IOANNES SLEIDANVS BELGA
Sleidæ natus anno M. D. VI.

Quem Lutetiæ Parif. bonis excultum di-
ſciplinis Argentina excepit:
In quâ multiplice & eruditi onis, & prudentiæ
atque pietatis edito ſpecimine, ſummo
ſemper loco habitus:
Legatus deinde non modò in Anglia, commu-
ni Proteſtantium, quos vocant, nomine: ſed &
vrbis ipſius in Tridentino Concilio: magnam
ſibi apud omnes paſsim comparauit
gloriam, atque exiſtima-
tionem:
Multò etiam maius adeptus immortalis famæ
decus, ex egregio illo opere ſuo de Reipub. &
religionis in Germania ſtatu à ſe veriſ-
ſimè ſimul & elegantiſsimè
perſcripto:
Iacobo Sturmio Prætore nobiliſſ. & ampliſſ.
non modò hortante, verùm etiam ma-
teriam ſuppeditante:
Addito etiam de ſummis imperijs eruditiſ-
ſimo commentario:
Sui ſeculi Hiſtoricus facilè princeps:

Obijt Argentinæ ex Epidemico morbo, anno
Salutis M. D. LVI. Aet. L.

Ioſephi à Pinu Eteoſtichon.

Vndenas luſtris trieteridas adde trecentis
Octoq; Sleidani tempora mortis habes.

IN IOANNEM SLEIDANVM Hiſtoricum.

EPIGRAMMATA.

IOAN. LAVTERBACHII.

Eſt laude dignus, erudit qui poſteros.

Quis ſtatus in terrâ fuerit, rerumq́; per orbem,
Imperio Cæſar Carole Quinte tuo:
Quàm rigidos verax Eccleſia ſenſerit hoſtes:
In Chriſto ſperans regna beata fide:
Quos ſit in aduerſis pugnans experta patronos,
Qui veram ſacris aſſeruêre fidem:
Vox Euāgelij ſuperatis ſana tenebris,
Purpureum poſtquàm cœpit habere diem:
Sex & viginti Sleidanus tradidit auctor
Hiſtoriæ, facili dexteritate, libris.
Dum ſeris ſtuduit prodeſſe nepotibus, ut res
Congreſſu poſſent commemorare bonas.
Eſt iuſtum meritas auctori dicere laudes:
Recta quòd hiſtorijs ſecla futura docet.
Erudit hiſtorijs ſeros quicunque nepotes,
Dignus, ut æternâ laude colitur homo.

IOAN. STVRMII.

Sleida mihi patria eſt prima: Argentina ſecunda:
Mortuus ut viuam, conſequor hiſtoriâ.

GEORGII FABRICII.

Quos tulerint noſtri pro relligione tumultus
Orſus es æternæ poſteritatis opus.

MARTINI CRVSII.

Lugeo Sleidanum, quum cogito, qualis in illo
Dulcedo morum vixit, & oris honos.
Sed multò magis historiá quum versor in ipsâ:
Hunc Deus expreßit, mox scidit inde typum.


IACOBI FABRICII.

Ingenio magnus, pietate insignior, arte
Sleidanus facilis, dulcior eloquio.
Vera sciens, nec vera tacens, & vana perosus,
Germanæ sapiens conditor historiæ.
Per patriæ, & caræ per posteritatis amorem
Temporis acta sui scripsit, & occubuit.
Ore Deũ, ut calamo, placidâ est in morte professus:
Improbe nequicquam rumperis inuidiâ.

GEOR. CALAMINI.

Iunctus qui patriâ, lare qui vicinus & ortu,
Et socius arte Sturmio
Aemulus & Musa fuit, & Ciceronis amore
Sleidanus hoc dormit loco
Quem pudor heu nimius, cælata corporis ægri
Contage terris sustulit.
Sanctas historiæ satagis cognoscere leges,
Fidumque pectus ac pium?
Scripta legas, memori quæ tunc Deus eximet æuo,
Si quando notitiam sui
Terris invideat: Simul & cum tempore rerum
Monumenta fortè concidant.

IOANNES FORSTERVS
Hebræus Theologus.



Patria ſit quamuis Auguſta & Sueuica tellus:
Arguit Hebræum me ſacra lingua magis.

M. D. LVI.

O

IOANNES FORSTERVS AVGV-
ſtæ Vindelicorum natus Anno
M. CCCC. XCV.

Permultis Germaniæ Academijs perluſtratis,
Linguarum habens præcipuarum
ſtudium potiſsimum:

Sacræ Theologiæ Doctor Vitebergæ pro-
nunciatus:

Ac dein Profeſſor Linguæ Sanctæ in Acade-
miâ habitus longè doctiſſ.

Quam & Lexico edito illuſtrauit pluri-
mum, & amplificauit:

Poſt fidelem multis annis Reipub. Chriſtia-
næ nauatam operam:

Iisdem ſtudijs, quibus contentus vixerat, fe-
liciter immortuus,

Obijt anno Domini M. D. LVI. XII.
Decembr. Aet. LXI.

Ioſephi à Pina.

Eteoſtichon.

Relliquit vitæ extinctus Forſterus ut auras:
Acronicho Caſtor ſurgit ad aſtra gradu.

IN IOANNEM FORSTERVM Theologum.

GEORGII FABRICII.

Sic loqueris Forſtere, velut de ſemine cretus
Iſacidûm: ſancta eſt lingua paterna tibi.
Sic ſcripta exponis meritum teſtantia Chriſti:
Vt mânet libris cœlica vena tuis.
Ornetur tumulus ſertis: cedroq́ linantur,
Commendant docti quæ monumenta viri.

Homo Dei imago. Eſa. 43.

IOAN. LAVTERBACHII.

Laudare mortalis, Deumq́ue noſcere.

E terris ad imaginem beatam
Eſt formatus homo, Dei parentis
Vt cognoſcat in hoc doloris æuo,
A quo conditus eſt, Deum parentem:
Aeternis ut in hoc doloris æuo,
Toto pectore, viribusq́ totis,
Laudibus celebret Deum parentem.
Non tantùm didici Deum parentem,
Hoc quantum patitur doloris æuum,
Rectè noſcere, ſicut in ſalute
Chriſto ſe patefecit: inq́ Chriſto
Non tantùm ſtudui Deum parentem,
Hoc quantum patitur doloris æuum,
Toto pectore, viribusq́ totis,

In templis celebrare gratus: Ipse,
Nomen Gratia cui dedit perenne,
Forsterus quoque publicis Hebrææ
Linguæ sedulus in scholis Prophetas
Atque oracula Doctor explicaui.
Meo præstiterim quid in labore,
A me postgen̄itis quod est relictum,
Hebræum tibi Lexicon probabit.
Et cognoscere laudibus parentem,
Et Deum celebrare sempiternis,
Munus est hominis, Dei beatam
Conformati ad imaginem parentis.

PANTAL. CANDIDI.

Clara tuo reddis sacra lumine Biblia doctor
Forstere: hinc nomen clarius ipse geris.

NICOLAI REVSNERI.

Dum fontes aperis, & linguæ flumina sanctæ
Corriuas sacris eiaculata tophis:
Multum Relligio debet tibi sancta: fidelis
Cuius es interpres, scriptor & arte bonus.
Multum Græca tibi, Germana, Latinaq; debet,
Siq; alia est, sacra quæ Biblia, lingua, legit.
Nam fontes liquidos vestigas ritè Sionis
Sanctæ, cœlestes vnde petantur aquæ.
Donec relligio, linguæ pius usus Ebrææ
Donec erit, celebris laus tua semper erit.

IOANNES BVGENHAGIVS POmeranus, Eccleſ. Viteberg. Paſtor.



Quo doctore fidem profitetur Dania Chriſti:
Ieſſææ Citharæ laus Pomeranus eram.

M. D. LVIII.

IOANNES BVGENHAGIVS POMERANUS, Iulini natus anno M. CCCC. LXXXV.

Primo ſtudiorum tyrocinio Gryphiſuualdiæ
in Academiâ facto:
Literator iuuentutis primùm Treptæ factus:
ac dein Presbyterorum adiunctus
Collegio:
Lectionibus operam dans ſacris, & concionib.
popularib:
Demum Chriſtianiſmo per Lutherum inſtaurato, Vitebergam euocatus, anno
M. D. XXI.
Summus Eccеſiæ Paſtor, & Academiæ
Profeſſor factus:
Quâ in ſtatione ille totos annos XXXVIII. ſummâ tùm fide, tùm diligentiâ vbique præſtitâ, conſtantiſſ. perſeuerauit:
Ab omni prorſus alienus ambitione, & auaritia:
Quum ad ſplendidos Pontificatus ſuſcipiendos à ſummis Regib. & Principib. ſæpiùs inuitaretur:
Plerisque interim Eccleſijs Septentrionalibus, Daniæ, Pomeraniæ, Saxoniæ piè recteque
conſtituendis, operam præſtans
fidelem:
Tanquam Legatus Dei, & Euangeliſta ſanctiſſ.
Beata ſui memoriâ relictâ,
Obijt placidè Vitebergæ, annum agens vitæ
LXXIII. XX. Aprilis. Anno
M. D. LVIII.

IN IOANNEM BVGENHAGIVM, Pomeranum, Theologum.

PHILIPPI MELANTHONIS.

Coniugis ut ſenio confecti corpus aquatum
Ipſa ſuis humeris Halcyo grata gerit:
Sic benè promeritum doctorem Eccleſia curet:
Et leuet ætatis pondera dura ſeni.
Sic tua canities, Doctor Pomerane, fidesq́;
Sincera eſt cunctis iam veneranda pijs:
Qui procul externis ſparſiſti fidus in oris
Pura Euangelij ſemina voce tuâ.
At ceu Baptiſtes agnum monſtrare ſolebat
Aeterno Chriſtum de genitore ſatum:
Tu quoque iuſtificâ docuiſti agnoſcere Chriſtum.
Aeterniq́; Patris ſumere dona, fide:
Fictiliumq́; alias formas tua lingua deorum
Fuertit, Papæ quas voluêre coli.
Et velut in ſcopulis celſos locat Halcyo nidos,
Hyberni circum quos fremit vnda maris:
Sic medio in pelago felix iam Dania nidos
Extruxit Chriſto, te fabricante, pios.
Te Deus hos inter texit iuuitq́; labores:
Nunc vitâ functus viuis in arce poli.


IOANNIS LAVTERBACHII.

Opus Dei peccantium conuersio.

Ferrea quòd domui cœlesti pectora voce:
A Christo patris est quæ patefacta sinu:
Humanorum operum mersos errore fideles,
In veram potui quòd reuocare viam:
Quòd rigidos spinis solitus sum flectere dumos:
Nomen ab officio quod mihi fata volunt:
Clandestina pij Flatus operatio Christi,
Ingenij proprium non fuit istud opus.
Organon est hominis studium, non causa: benignæ
Sed Triados, multis quòd data vita fide est:
Ferrea corda potest confringere concio verbi,
Errores, dumos, prauaq́; cuncta, Dei.

ANONYMI.

Si sic docendo flexiles
Mouere mentes quiueris:
Lenti ut solent curuescere
Dumi (id sonat vis nominis)
Tum laude maior qualibet
Sis iure habendus omnibus.



IANVS CORNARIVS
Medicus.



Quos Medicos laudet ſcriptores Græcia docta:
Per me nunc Latij nobilis ora legit.

M. D. LVIII.

IANVS CORNARIVS Cygnæus.

Summus Philoſophus, & Medicus excellens:
Literarum præſertim Græcarum & Latinarum
cognitione præſtans liberali:
Qui & Theologos illos veteres, Baſilium, Epiphanium, Chryſoſtomum, alios: & prætereà Medicos Græcos, Hippocratem,
Galenum, Aëtium Latio
donauit:
Alijs quoque Philoſophis & Medicis Latinis,
Marcello, Macro, Merboldo, Adamantio, Parthenio, cæteris fideli operâ & ſtudio illuſtratis:
Tum etiam Iſagogicis & dogmaticis quibusdam libellis in Medicinâ publicè editis:
Aeternum poſteritati nomen ſuum
conſecrauit:
Obijt Ienæ anno Sal. M. D. LVIII.
Aet. LVIII. XVII. KL. Aprilis.

Ioſephi à Pinu Eteoſtichon.

Excellens Phœbi Cornari viribus Artis,
Exuuias ſoluit Parca maligna tuas.

IN IANVM CORNARIVM Medicum.

EVRICII CORDI.

Te licet Arctous peregrinum contegat axis:
Sunt tamen hîc animi pignora multa tui.
Scilicet egregij doctißima ſcripta libelli:
Quos verſans, magni ſpem mihi ſumo boni:
Vt quæ fœdæ patet cœcis medicina tenebris,
Efferat excultum, te poliente, caput.

GEORG. FABRICII.

Aetas quotquot noſtra tulit, quot ſecla priora,
Præſtantes ſcriptis, artibus, ore viros:
Iano Cornario plura & meliora, nequiuit
E Graijs nemo fontibus hauſta dare.
Dicere vera negas tumulum? celerando recede,
Tumba te inexpertum ne vocet ipſa virum.

IOAN. BARTOLOMAEI.


Si Iani ſpectes fœcunda volumina, dices:
Ianus & ingenio, Ianus & arte valet.

IOAN. MENTII.


Poſt quinquagenos vitæ, & bis quattuor annos,
Cornarius claro nomine talis erat:
Illo non meliùs medicantes miſcuit herbas:
Applicuit medicas tam benè nemo manus.
Liberat at dum morte alios, cadit ipſe repente:
I nunc, & mortis nil vereare minas.

TVMVLVS EIVSDEM.

Ingenio ſi quis ſibi nomen & arte paravit:
Ante alios clarum tu quoque nomen habes.
Namque ſimul Graio facundus, & ore Latino,
Præſtans vir Medicæ viribus artis eras.
Suntq́; procul, varias via qua munitur in artes,
Conſita ſubſidio commoda multa tuo.
Orba ferè genio, denſis abſtruſa tenebris
Reſtituis ſtudio ſcripta vetuſta tuo.
Non hunc Coe ſenex, magni dux docte Galeni
Acceptum non hoc Græcia tota negas?
Ringere Liuor iners: tamen huic ſua præmia debet
Ingenuus meriti non pereuntis amor.
VIVE Deo, ſtudia iſta ſuo qui numine iuvit:
Sperantem in Chriſti tranſtulit ille ſinum.



IACOBVS MILICHIVS
Medicus.



Multa mihi debet cœli historia edita Plinî:
Leucoris & Medicum me Physicumq́ colit.

M. D. LIX.

IACOBVS MILICHIVS FRIburgi Brisgauorum natus anno M. D. I.

Quum & morum suauitate, & literarum eruditione eximiâ præditus esset:
Mathematum inprimis & Philosophiæ vniuersæ studiosissimus:
Quod elegantissima ipsius in Librum Plinij secundum de mundi historia commentaria vel sola abunde contestantur:
Medicinæ Doctor ac Professor in Academia VVitebergæ publicè constitutus:
Singulari erga Deum pietate, erga homines humanitate præstans:
Obijt Vitebergæ Apoplecticus anno Sal. M. D. LIX. x. Nouembr.

Iosephi à Pinu.

Auctorem genitum post omniparentis Olympi
Addita dena annis secla fuêre nouem:
Phœbus & hic centum bis quinaq́; lustra peregit:
Milichius vitam clausit in orbe suam:
Fluxerat ipsius decies vbi quintus ab ortu,
In cursu bis iam quartus & annus erat.

IN IACOBVM MILICHIVM Medicum.


PHILIPPI MELANTHONIS.

Inuida Milichium rapuerunt fata Iacobum:
Qui sibi, quiq́; alijs viuere dignus erat.
Cui pater ipse suas artes donauit Apollo:
Natura & gremio nutrijt alma suo.
Ille vias cœli, coeloq́; errantia nôrat
Sidera, quasq́; habeant illa vel illa vices.
Adde potestates herbarum, vsumq́; medendi:
Scriptaq; solerti tot monumenta manu.
Hîc herbæ vestras decuisset promere vires:
Quando alios vestrâ sæpe leuauit ope.
Sed noua quum tellus quondam noua germina fundet:
Et noua quum cœlum prouehet astra nouum:
Tum nouus exuuijs decoratâ carne resumptis
Milichius, priscæ dum videt artis opes:
Multa super flores, & cœli signa loquetur:
Abramo faciens mutua verba patri.
Nunc ver perpetuum felici spiret in urnâ:
Frondeat ut pictis semper amœna rosis.

N. REVSNERI.

Moribus ut suauis Medicus, sic ore serenus,
Milichij nomen quàm benè dulce geris?

ERASMVS SARCERIVS
Theologus.



Si carus superis, nulli grauis, omnibus æquè
Gratus eram: dic cur Sarcina ruris Eram?

M. D. LIX.

ERASMVS SARCERIVS Annæmontanus:

Liberalium artium, & virtutis ſapientiæque probè excultus ſtudijs:

Sed in primis ſacrarum literarum, quibus operam Vitebergæ nauauit ſedulam, ſcientiâ ornatus:

Quas non ſolùm concionando, magno cum pietatis zelo: ſed & ſcribendo, propagare atque illuſtrare pro virili conatus eſt maximè:

Multis ingenij ſui monimentis haud vulgaribus piæ poſteritati relictis:

Lipſiæ primò Eccleſiaſtes, ac dein Naſſouiæ Comitatus Paſtor & Antiſtes fideliſſ:

Optimè de Eccleſia meritus:

Obijt Magdeburgi, anno ſalutis M. D. LIX. Menſe IXBR. D. XXVIII. ætatis LIX.

P

IN ERASMVM SARCERIVM Theologum.

Epigrammata.


A. S.

Sunt hæc ora, genæ, facies & pectus Erasmi
Sarcerij: hæc potuit pingere docta manus.
Verùm nemo potest, quæ sit constantia mentis
Pingere: quin hoc non esset Apellis opus.
Impia qui nunquam deliramenta secutus,
Sincero fidei dogmate pascit oues.
Quas non concinnas fraudesq́; minasq́; potentum
Sustinuit, forti pectore dura ferens?
Nestoris eloquio similis facundia linguæ
Illius tantâ cum grauitate fluit:
Vt meritò, sibi quem studijs quæsiuit honorem,
Ingenio & celebris fama per astra volet:
Fortior & tulerit quum tot mala multa ferendo:
Exilij fuerit pœna timenda licet.
Vt superet constans quoq; fata sequentia Christe,
Te duce & hunc maneant prosperiora, precor:
Atque Theonino patitur quæ vulnera morsu,
Vulneribus sana, maxime Christe, tuis.


IOAN LAVTERBACHII.

Accommodans multis, senectus à Deo.

Qui geris à sancto Sarceri nomen amore:
Non equidem frustra nomen Erasmus habet:
Relligionis honos, artes, vitæq; decorum,
Radices ut agant spe meliore suas:
Das operam sancto mentem perculsus amore:
Dum calamo, viuâ dum sacra voce colis.
Ingenij calamo quæ non monumenta relinquis,
Vt sarta, ut maneat gloria tecta Dei?
Quæ non suggesto facundus ab ore Pericles,
Quæ decet, ut faciat munia quisque, doces?
Relligionis honos, artes, vitæq; decorum,
Vt Christo, fructu diuite, regna parent:
Extendat vitam longos Deus auctor in annos:
Quæ calamo, viuâ quæ sacra voce colat.
Est auctore Deo vitæ longæuior ætas:
Quæ studio multis commodat usque suo.



PHILIPPVS MELANTHON, GERmaniæ Phœnix.



Paruus eram: necme tamen ingens cepit hic orbis:
Fama mei complet nominis omne latus.

M. D. LX.

PHILIPPVS MELANCHTHON BRETtæ Palatinorum natus A. M. CCCC. XCVII.

Portæ Herciniæ primò verſatus in literis admodum puer, cum ingenio, nec ſine induſtriâ: Magno illo Io. Capitone CL. Theol.& Phil. ſtudiorum curſum moderante:
Primem doctrinæ lauream Heidelbergæ, Alteram adeptus Tubingæ, anno æt. XVI:
Friderici Saxon. Elect. Pr. auſpicijs Vitebergam euocatus, anno Aet. XXI.
Martino Lnthero, cuius poſteà fidelis fuit παραστάτης, omniumque laborum & ſtudiorum ſocius, Rem Chriſtianam in Germania reformante:
Quâ in Academiâ totis annis XLII. operam nauans in docendo laudatiſſ.
acrarum literarum explicator ſolertiſſ ac fideliſſ.
Veritatis cœleſtis Patronus inprimis ſtrenuus:
Opt. diſciplin. & artium cùm inſtaurator, tùm conſeruator:
Qui omnem doctrinam, quaſi vagam & diſsipatam collegit, & ad certam rationem reuocauit:
ietate, vitæ innocentiâ, humanitate, benignitate erga omnes, ac inprimis incomparabilis modeſtiæ exemplo, non modò cæteris, verùm etiam ſe ipſo ſuperior:
Singulare noſtri ſeculi ornamentum, & decus Germaniæ perpetuum futurus:
)bijt Vitebergæ ſanctè & feliciter XIII. KL. Maij. Anno M. D. LX. quum annos vixiſſet LXIII. & dies totidem.

IN PHILIPPVM MELANTHONEM

EPIGRAMMATA.

Nicolai Revsneri.

Felix illa dies, niueo signanda lapillo,
Quæ tibi nascenti prima Philippe fuit.
Felix illa domus: felix vrbs patria, quæ te
Nascentem gremio fouit amica suo.
Felices, qui te talem genuêre parentes:
Cui vix vlla parem secla tulêre virum.
Tunc pietas tecum refloruit, arsq́ Philippe:
Tunc suus est studijs redditus omnis honos.
Salue clara dies post Idus Februa quarta:
Musarum semper concelebranda choris.
Parua quidē, magno sed magna Melanthone salue
Bretta, Palatini fida columna soli.
Tuq́ adeò salue patriæ lux magna Philippe:
Floreat & generis sera propago tui.

Ioan. Stigelii.

Dædaleis manibus facies tua pingitur Heros:
Mentem qui poterit pingere, nullus erit.
Si qua manus sanctā posset quoq́ fingere mentem
Pingere vel mores, docte Philippe, tuos:
Pulcrius aspiceres toto vix numen in orbe:
Nam Diuum te mens diua sub orbe facit.

Gilberti Dvcherii.

Solis ex scriptis auctores nouimus illos,
Qui laudem ac studium posteritatis habent.

Sed quum de scriptis notos vehementer amamus:
Tum cœlo multis laudibus adserimus.
Longum interstitium, haud annorum, at patriæ iniquum
De facie ut nôrim te minùs efficiat:
Scripta, quibus tua fama nitet, diuine Melanthon,
Efficiunt, ut amem te, & tibi honorē habeam.

IOAN. LAVTERBACHII.

Honore dignus restitutor artium.

Teutoniæ verum lumen, diuine Melanthon:
Ingenij cuius lucet in orbe iubar:
Barbariæ postquàm Germania mersa tenebris,
Iam captiua diu vincula dura tulit:
Nec studijs auersa bonis, cultuq́ nitenti
Erectum potuit ferre per astra caput:
Tu velut Alcides rupisti vincula captæ,
Duxistiq́ iubar post tenebrosa diem.
Hinc super Europæ crescens Germania gentes,
Alcideńq suum te colit, atque iubar:
Auxilium studijs quicunque ruentibus affert:
Alter ut Alcides, ut iubar orbe nitet.

AEG. PERIANDRI.

Nomen habes nigrum: sed non sic splendet in orbe
Titan, hoc veluti lumen vbique micat.

HIER. TREVTLERI.

Ilias exiguæ nucis abdita tegmine quondam
Mira fuit. veteres hoc ut habetis opus?
Hîc Pietas, virtus, Doctrina, & quicquid amoeni est
Clauditur hoc uno (rumpere Mome) viro.

EIVSDEM.

Bretta mihi patria est: ſedes Viteberga: labores,
Ingenium, curas orbis uterque vehit.
Præmia diuerſi reddunt diuerſa: rependit
Et famam, & cœli tecta tenenda Deus,

BARTHOLOMAEI REVSNERI.

Candorem ſpirant, quem vultus & ora PHILIPI,
Quæ dedit in ſcriptis, cernito viuidius.

IN EIVSDEM MORTEM.

GEORG. SABINI.

Heîc inuicte tuus collega Luthere Melanthon,
Non procul à tumulo conditur ipſe tuo.
Vt pia doctrinæ concordia iunxerat ambos:
Sic ſacer amborum iungit hic oſſa locus.

IOAN. STIGELII.

Fons latet hoc tumulo: quid quæris amice viator?
Fons dogmatum piorum & eloquentiæ:
Si quis ab hoc riuum proprios deduxit in hortos,
Non aureas huic præferat pyramides.
Illius obſtructas doleo Germania venas:
Parem futura non habebunt ſecula.

IOACH. CAMERARII.

Vitam fortunasq́ ſuas, ſtudiumq́ laboris,
Quiq́ operæ ſanctam, conſiliјq́ fidem
Impendit diuina tuis Eccleſia rebus,
Teq́ pius variâ iuuit & auxit ope:
Hac in parte ſibi poſt mortem ſtructa Melanthon
Communi in luctu buſta Philippus habet.

Quæ templi foribus magni vicina Lutheri,
E regione solum quòd tegit ossa videt.

IOAN. MATHESII.

Flos iabet hîc mellis ingrâ tellure Melanthon:
Apes dolete sedulæ:
Vnde bonus spirabat odor, pia mella fluebant:
Piæ fleant Ecclesiæ.
Lenta febris potuit paruum comburere florem:
Lugete parui flosculi.
Nulla viri famam poterit delere vetustas:
Fuci leues facessite.
Semper apes flauo distendent nectare cellas,
Quà nunc stetit flos melleus.
Semper humus suaues illîc diffundet odores,
Quà nunc iacet flos paruulus.
Sed quum summa dies optato illuxerit ortu,
Flos hic virebit denuò:
Et reliquas inter bene olentes pulcrior herbas
Christi nitebit vertice.

IOANNIS MAIORIS.

Maximus hic meritis, sed paruus membra Philippus
Pone iacet tumulum, magne Luthere, tuum:
Cui pia relligio se totam debet, & artes,
Et pax, & regni publica commoditas.
Testis erit vitæ, studijq́ue, actiq́ue laboris,
Quicquid Romano viuit in imperio.
Quumq́ue odia à multis fuerit perpessus alumnis,
Nunc cœlo precium dulce laboris habet:
Ossa tenet tumulus, sed viuit fama: iacere
Tot dotes vno non potuere loco.

Ecquid terra vires, quum flos tuus occidit? atris
Vestibus (exuuijs ô Libitina tuis)
Obsita lugeto: Sic debes esse Melanthon,
Quum sepelis Solem lurida terra tuum.

CAROLI HVGELII.

Occiduo cum Sole tuum Germania sidus
Occidit, ille quidem manè redire solet:
At tibi non iterum, quod nox tenebrosa recondit,
Sidus ab Eois exorietur aquis.
Dum tamen Eoum mare, dum Sol viset Iberum,
Sideris illa tui fama superstes erit.

GEORGII FABRICII.

Inclyta quicquid habet studij Germania laudis,
Ingenio peperit, clare Philippe, tuo.
VVitenberga tuum corpus tegit: orbe sepulcrum
In toto est: animam magnus Olympus habet.

THEODORI BEZAE.

Et tu igitur tandem tumuli sub mole repostus,
Dic ô Philippe, nunc iaces.
Et quam inuidisti viuus tibi tute quietem,
Cunctis quietem dum paras,
Ipsa tibi cura & sancti peperêre labores,
Carum ô bonis cunctis caput.
At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
Tt lilia inter & rosas,

Quo nil candidius fuit & nil suauius vnquam,
Recubet Melanthon molliter.
Et grauis huic ut sis, caueas iuuenisúe, senexue,
Qui nemini vixit grauis.

IOAN. POSTHII.

Has lacrymas, hos mœsta parens Germania crines
Ad tumulum spargit, culte Philippe, tuum.
Has violas pietas, hanc magnus Apollo cupressum,
Hæc tibi Pierides laurea serta ferunt.
Te pietas luget, luget Germania raptum:
Cumq́; suo luget turba nouena Deo.

EIVSDEM.

Albi Pater, liquidũ quisnám tibi, quis pater amnem
Turbat? & vberibus cur fluis auctus aquis?
Ah miser, Aonij turbat te casus oloris:
Et tibi iucundos non sinit ire dies.
Ille tui cygnus fontis decus, atque voluptas
Occidit, & ripis conditur Albi tuis.
Hinc illæ lacrymæ, quibus auges flumina, manant:
Hinc tua funereis vocibus antra sonant.
Infelix amnis, cygno spoliate canoro:
Fallor? an huic similem non dabit vlla dies?

IOAN. LAVTERBACHII.

Quæ replet orbem, fama nunquàm concidit.

Diuino quid opus tumulum tentare Philippo?
Hoc spacij, cœlum quod tenet, urna capit.

EPITAPHIVM.


Terra fui quondam: nigræ gero nomina terræ:
In terram redeo: dic mihi qualis eram?
Non tumulus memori partum decus eximet æuo,
Quod spatio cunctas replet in orbe plagas.
Est longè tumulo decus hoc diuturnius orbe,
Quod pietas, virtus, ingeniumq́ dedit.

IOAN. SCHOSSERI.

Da sancto lacrymas tumulo, planctusq́ sonantes:
Et pia textilibus contege busta rosis.
Hac sub mole cubant veneranda Melanthonis ossa:
Hîc antiqua iacet cum probitate fides.
Hîc etiam posuit quondam sua membra Lutherus:
Ille reformatæ relligionis honor.
Felices animæ, per quas Ecclesia Christi,
Famaq́ Pieridum nobilis aucta fuit.
Quicquid habent artes, & triplex lingua politum
Debetur meritis, docte Philippe tuis.
Ergo tibi nunquam dignas Germania grates,
Immensum per te, soluet, adepta decus.

CONRADVS LYCOSTHENES

Theologus & Philologus.




Si Pietas, Sophiæq́ placet tibi regula sanctæ:
Perlege dicta Sophûm, viua labore meo.

M. D. LX.

CONRADVS LYCOSTHENES
Rubeaquenſis Alſatus, natus anno
M. D. XV.

Philoſophiæ pariter, & Theologiæ operam
Heidelbergæ nauans egregiam:
Baſileæ pòſt vtranque in ſcholâ & Eccleſiâ publicè profeſſus eſt, magnâ cum fide & induſtriâ:
Philologus prætereà & Hiſtoricus celebris:
Theatrum vitæ humanæ,
Philoſophiæ perennis compendium,
Aet. Luminum Datoris benign.
Per XLII. valetudinariæ æt. An. M. VII. D. VII.
ſedulò ſerioque commentatus:
Quod eo poſteà mortuo à priuigno Theodoro
Zuingero Med. & Philoſ. excellentiſſ. mirificè
exornatum, & locupletatũ, omnibus omnium
Cæſarum, Amphitheatris meritò
anteponitur:
VIII. KL. Aprilis, non improuiſo Apoplexiæ
turbine, ad certam immortalitatem.
Anno eiusdem reparatæ
M D.LXI. abreptus:
Præter votum metumque,
Sortis Literar. multam ſimul & magnam reliquit vſuram poſteris, in omne æuum
perduraturam.



IN CONRADVM LYCOSTHE-nem Philologum.

Virtutum Regina Pietas.

IOAN. LAVTERBACHII.

Regina virtutum pij ſcientia.

Humanæ ſapiens eſt vitæ regula dictum:
Quòd gremio ſedem mentis habere decet.
Hoc decet, hoc vitæ ſit ut actio monſtrat honeſta,
Ne quà iuſtitiæ transgrediatur iter.
Relligionis adhæc præcepta ſalubria veræ
Oſtendit, Pietas tollat ut omne malum.
Vt te virtutes, Pietasq́ue gubernet, honeſtum
Ne quà iuſtitiæ transgrediatur iter:
Conradi lepido congeſta Lycoſthenis auſu,
Quæ memoranda, tuo dicta reconde ſinu.
Vt te virtutes, Pietasq́ue gubernet, habebunt
In ſcelus, in vitium ne malus error agat.
Virtutum Pietas Regina boniq́ue magiſtra:
Virtutes, Pietas eſt vbi, regna tenent.

IOANNES OLTENDORPIVS
Iurisconsultus.



Et causas agere, & iuris benè reddere causas
Si doceam, Iuris nonné peritus ero?

M: D: LXI:

IOANNES OLTENDORPIVS IC.
Hamburgi natus vrbe Saxoniæ liberâ:

Summam in ſtudijs expertus liberalitatem auunculi Alberti Cranzij Hiſtorici clariſſ.

Gryphiſuualdiæ in Pomerania Doctor Iuris vtriusque creatus:

Syndicus primò Reipub. Roſtochianæ conſtitutus:

Pòſt Coloniæ Agrippinæ, ac dein Marpurgi multis annis ius ciuile in Academiâ profeſſus:

Singulari cum laude doctrinæ, fidei, induſtriæ, ſapientiæ:

Commentarijs in multas Iuris partes editis quàm plurimis:

Ac præſertim Practicâ Actionum forenſium abſolutiſſimâ, quâ verus exercendæ Iuriſprudentiæ vſus oſtenditur, in medio relictâ:

Obijt Marpurgi anno Chriſti, anno M. D. LXI.


IN IOANNEM OLTENDORpium Iureconſultum.

PETRI PAGANI.


Aſpice Cæſarei venerandum Iuris Athletam:
Quem tenui ſollers finxit in ære manus.
Oltendorpiacæ decus hinc, & gloria gentis,
Dicitur: Auſonij portus & aura fori.

ABRAHAMI SCHVVARZII Alemanni.

Si quisquam Themidis fuit ſacerdos
Felix ius alios docere ſacrum:
Oltendorpius hic fuit diſertus,
Qui legum cupidam bonis iuuentam
Libris inſtituit fidelis, vſum
Monſtrando, & varijs fori applicando
Leges iudicijs benè explicatas.
Qui multùm teneram iuuat iuuentam,
Laude eſt perpetuà ac honore dignus.



CASPAR A SCHVENC-feld EQ.



Sit gens clara licet, me sancta professio vitæ,
Et mea secta magis, relligioq́; iuuat.

M. D. LXI.

GASPARVS SCHVVENCFELDIVS ab Osſiga, Eques nobilis Sileſius:

Quum fidei propagandæ ſacræ, quaſi numine correptus, ſe diuinitus deſtinatum cenſeret:

Singulari arrepto dogmate.

Eutychetis renouans errores:

Pro ſacro diuini miniſterio, ἐνθουσιασμὸν ac motum neſcio quem diuinum ſuggerente:

Quod longè lateque diſſeminatum poſteà in Germania, multos paſsim ex Equeſtri & plebeio ordine habuit ſectatores:

Cæteroquin corporis dignitate, ac vitæ ſanctimoniâ vir grauis, & venerabilis:

Plurimis de religione ſupra LXXX. Germanica linguâ libris diuulgatis:

Obijt ſenex, in Suevia menſe Decembri. M. D. LXI.

IN CASPARVM SVENCfeldium.

PANTAL. CANDIDI.

Ipso ex ore Dei, non verbi ex ore ministri,
Dogmata, Suencfeldi, vis petere ipse tua.
Sunt sua danda Deo, sunt & sua danda ministro:
Namque trahit verbo corda mouente Deus.

N. REVSNERI.

Vnum agis hoc, ut salua Dei sit gloria: quicquam
Nec virtus hominum vindicet inde sibi.
Ergo doces, saltem correptos numine dio,
Quæ sunt, posse sacrâ mente videre, Dei:
Posse ministerium nihil hîc venerabile verbi,
Falleris heîc animi, Gaspar. at vnde? rogas.
Nempe ministerium verbi cœleste per ipsum,
Quicquid agit, Deus hoc omne benignus agit.
Mortua non est, sancta Dei vox, littera: vita
Vita, biceps gladius, malleus, ignis edax.
Quam penes est & vis, & spes, & norma salutis,
Cœlitùs hoc ipso sic moderante Deo.
Qui spernit verbum Domini, verbiq́ ministros:
Spernit is in cœlis, qui dedit ista, Deum.
Ampliùs haud manet ergo Dei sic gloria salua:
Fide Deo: vero crede: beatus eris.

PETRVS MARTYR VERMILIVS
Theologus.



Tuſcia me pepulit: fouet hinc Germania, dein &
Anglia: Martyr eram nomine reque pius.

M. D. LXII.

PETRVS MARTYR VERMILIVS Florentinus:

Literarum bonarum, ac inprimis religionis ſtudio ab ipsâ pænè pueritiâ inflammatus:
Sancti Auguſtini Canonicorum ordini primùm addictus in Cœnobio Fæſulano:
Patauij totius Philoſophiæ & linguæ Græcæ: Bononiæ etiam Hebrææ exactam adeptus notitiam:
Sacris dehinc concionibus habendis, omnium illius ordinis totâ Italiâ princeps habitus:
Aeterni demum Lum. datoris cœleſti irradiatus luce:
Cum Ioanne Valdeſio Hiſpano prima Neapoli, ac dein Lucæ inſtaurandi Chriſtianismi fundamenta iecit:
Mox Romæ vſtulandus, amicorum ſuaſu, ingratæ patriæ valedicens, Tigutum primò, inde Baſileam, pòſt Argentinam, procurante Mart. Bucero, vocatus:
Quin & cum eodem in Angliam ab Edouardo VI. Rege euocatus Oxonium, ad profitendum ſacras literas:
Sed Marianis mox ſequutis temporibus iterum cedens Angliâ, Argentinæ in priſtinum locum reſtitutus:
Tigurum denique ſenectæ ſuæ portum ſortitus optatum:
Quo in loco ſacras literas quinquennium circiter, maximâ cum omnium attentione & admiratione interpretatus eſt:

Præclaros laborum ſuorum teſtes poſt ſe libros relinquens innumeros nunquam morituros:
Obijt placidè anno M.D.LXII. Aet.LXIII.
Prid. Id. IXBR.

IN PETRVM MARTYREM VERmilium Theol.

THEOD. BEZAE.

Tuſcia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr: quem extinctum nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ ſi vera volent, re & nomine, dicent,
Hic fidus Chriſti (credite) Μάρτυρ erat.
Vtq́ iſtæ taceant, ſatis hoc tua ſcripta loquuntur:
Plus ſatis hoc Italis exprobrat exilium.

IOAN. PARCVRSTII.

Florida quem genuit Florentia, Martyris iſta
Effigiem Petri picta tabella refert.
Doctrinam, ingenium, dotes animiq́ ſtupendas
Non poſſet Cicero pingere pro meritis.

ANONYMI.

Itala quem genuit tellus, nnnc exul oberrat,
Quò ſtabilis fiat ciuis apud ſuperos.
Illius effigies hæc: mentem ſcripta recondunt:
Integritas, pietas pingier arte nequit.

RVDOLPHI GVALDERI.

Quòd Chriſtum vitâ ſemper teſtaris & ore:
Martyris haud fruſtra nobile nomen habes.

Proſopopœia Librorum P. Martyris.

Si præſens animi latentis index
Eſt oratio, ſicut eruditus
Rerum nos docuit magiſter vſus:
Si morum documenta ſunt libelli,
Noſtro nil melius probatiusúe,
Dum vixit, potuit parente fingi,
Nil diſertius, eruditiusúe.
Nobis nam genitis parente tanto
(Verum dicere ſiquidem licebit)
Nil ſincerius eſt probatiusq́;,
Nil politius elegantiusque,
Nil illuſtrius explicatiusq́;.
I nunc Liuor edax, tuumq́; rode
Et cor, & digitos, & omne quicquid
Infelix rabies vorare ſuadet.
Mirum ni tibi plaudis & triumphas,
Inuictus quia miles iſte Chiſti
Nunc victus iacet, & iacet ſepultus.
Imponis tibi turpiter ſceleſte:
Saltem reddidit id, quod antè fato
Se debere ſciebat, & ſepulcro:
Et hoc ſpontè quidem volensq́; fecit,
Iam vitæ ſatur, & ſatur laborum:
Sed quâ parte ſui perire neſcit,

Immortale modò perennat æuum
Lætis cœlicolûm beatus oris.
Nec nos intereà decus parentis,
Nec famam celebrare desinemus:
Dum conuexa poli suos tenebunt
Cursus, in statione dum manebunt
Sol & Luna, diesq́; noxq́;: donec
Alto flumina se mari recondent:
Toto nos etiam legemur orbe.

IN OBITVM EIVSDEM, CONRADI GESNERI.

Hoc tumulo Petrus, tum re, tum nomine μάρτυρ,
Conditus est, Christi testis amorq́; sui.
Annum si libeat Domini cognoscere, μῖ ρῶ
Abijce de Græcis, bis tria & adde, notis.

VVOLGANGI MVSCVLI.

Gratulor ipse tibi, quum mundum conspicor istum
Martyr, quòd saluum te Deus eripuit.
Rursum ubi doctrinæ Christi considero sortem,
Ad gemitum & luctum me tua fata vocant.
Quicquid id est, pro te sit semper gloria Christo:
Namque ut sis Martyr Petrus & ipse dedit.
Vt Martyr de Christo es testificatus apertè:
Et probat esse Petrum te tua firma fides.

IOANNIS HALLERI.

Quàm bene Nasonis cecinit doctissima Musa:
Conueniunt fatis nomina sæpè suis.

Sic ego dum Martyr dicor, me Christus Iesus
Aeterni verbi Martyra constituit.
Italus audiuit, Gallus, Germanus & Anglus:
Martyrium sanctum quod tibi Christe dedi.
Illud & absolui Tigurinâ doctor in vrbe:
Hîc mea membra iacent: spiritus astra tenet.


IOAN. SCHESLERI.

P etri nomen habet, firmo quia robore Christu M
E docuit, stabilis qui solet esse Petr A
T estis erat viuus: sed nunc monumenta loquuntu R
R elligio veræ quid pietatis habe T
V rna viri cineres tenet hæc: colit ætheris ἄςρ Y
S piritus: illustris viuet in orbe labo R

IOANNIS CONRADI FABRICII.

Martyra mors Petrum nostris subduxit ocellis:
Clausit & exiguo membra sepulta loco.
Quò se grex ouium, tanto pastore perempto,
Vertet, & vnde sibi pabula nota petet?
Quis doctos ultrà simili sermone docebit?
An cuiquam est tantis mens cumulata bonis.
Non dubitanda loquor: percellimur omine tanto,
Et vereor mœstas vrbis adesse dies.
Summe Deus pastorq́; gregis, submitte labori
Pastores: templi commiserere tui.

BONIFACIVS AMERBACHIVS
Iurecos.



Laude meâ poteram contentus viuere: laus hæc
Crescat ut, hoc hæres iam Basilius agit.

M. D. LXII.



BONIFACIVS AMERBACHIVS BAſileæ Rauricorum natus anno M.CCCC. XCV:

Patre Ioanne Amerbachio, ciue primario:
Quo nullus ſuo ſeculo fuit, cùm in excudendis libris nitidior, quod ſumptuoſæ dexteritatis eſt: tùm in ijsdem ad veterum exemplarium fidem reſtituendis diligentior, quod eruditionem & laborem requirit:
Magiſter Philoſophiæ & liberal. artium in patriâ ſalutatus anno M. D. III.
Ciuilis ſapientiæ ac Iuriſprudentiæ in Italiâ & Galliâ perſtudioſus:
In quâ ſummum Docturæ gradum Auinione cum laude eſt conſecutus:
Quam multis poſteà annis publicè in Academiâ Baſileæ profeſſus,
Snmmâ cum admiratione, & commendatione eloquentiæ atque ſapientiæ:
Reipub. Chriſtianæ, cùm docendo, tùm de iure reſpondendo profuit plurimum:
Magni illius Eraſmi familiaris non modò in vitâ amicus, ſed & hæres, vnà cum Hieron. Frobenio, & N. Epiſcopio ex voto nuncupatus:
Omnium ſeculorum memoria vir digniſſimus.
Obijt Baſileæ Calend. Februarij: anno M.D. LXIIII. Aet. LXVII.

IN BONIFACIVM AMERBAchium Iurecos.

EPIGRAMMATA.


ABRAHAMI SCHVARZII Alemani.

Iuris & Aonidum cultor sanctißimus, ora
Sic geßit Ammerbachius:
Quem Basilea sacras magno cum fœnore leges
Docere felix audijt.
Cuius in innumeris studio atque labore Lyceũ
Artes vigent felicius.
Cum linguis, socio quas instaurauit Erasmo,
Germaniæq; reddidit.
Iura foro, doctasq; scholæ qui sufficit artes,
Verè hic duo summa præstitit.

AEGID. PERIANDRI.

Culmen hic est Iuris, Themidi, Phœboq; dicatus:
Quicquid habet ius hîc laudis, id omne tenet.

SIMON PISTORIS IVRISC. & Cancell. Saxon.



Iura priùs docui: mox scrinia Saxonis aulæ
Eloquio rexi, consilioq; meo.
M. D. LXII.

SIMON PISTORIS V. I. D. LIPSIAE
in eruditâ familiâ natus anno M:CCCC:
LXXX IX:

Patre Simone, Nicolao auo, vtroque Med. Doctore, & Saxon. Archiatro clariss.
In quo vno supra familiæ claritatem natura maximas & animi & corporis dotes, vnâ cnm inclytâ virtute, summaque cum docendi facilitate, & dexteritate, non sine omnium admiratione, felicissimè cumulauit:
Quem Papia docuit, Lipsia ornauit, Aula Saxonica obseruauit:
Per integrum quinquennium primò in patriâ Academiâ Professor Cod. Ordinarius:
Perpetuus demum Elect. Saxon. Cancellarius, & Magister officiorum in aulâ constitutus:
Magnis magnâ cum gloria perfunctus honoribus:
Commeatu tandem gratiosè impetrato:
Satur vitæ, satur gloriæ:
Liberos post se relinquens eruditos honoratos superstites.
Quorum & in libris præclara eius reuixit memoria, in omne deinceps æuum cum his victura perpetuò:
Obijt in pago suo Seuseliz, III. Non. XBR. anno Sal. M. D. LXII. Aet. LXXIII.

IN SIMONEM PISTORIS MAGNVM Saxoniæ Cancellarium.

GEORGII FABRICII.

Conditur hoc tumulo Simon Pistorius: atque
A patre præclaro nomen, auoq; tulit:
Saxonicâ vixit qui Cancellarius aulâ:
Vltra quinque gerens lustra regentis onus.
Ingenio præstans, studio indefessus, honore
Summus, consilijs vtilis, ore potens.
Quod mortale fuit, tellus tenet: inclyta fama
Nominis, haud vllo stat violanda die.

GREGORII. BERSMANNI.

Quis Pistoriadum gentis, quis nomina nescit
Nomina Lipsiacas inter fulgentia stirpes?
Inclyta doctrinæ titulis, & fascibus ampla,
Et meritis præclara suis, & iuris, & artis,
Artis Pæoniæ titulis, & honoribus aucta.
Quis te Nicoleos dignâ celebrare Camœna
Jaude Machaoniâ clarum, titulisq; superbum
Consulis. aut merito possit super æthera cantu
Tollere, teq; Simon Medicum, te nomine eodem:
Insignem, legum custodem, & iuris amussim:
Quem schola Ticini docuit: quem Lipsia summis
Ornauit titulis: quem Saxonis aula recepit
Munere functū amplo, duo ter quinquennia vitæ.

VVOLFGANGVS MVSCVLVS
Theologus.



Corde pius, grauis ore, sacro sermone disertus,
Præco Dei, pariter voce styloq; potens.

M. D. LXIII.

VVOLGANGVS MVSCVLVS DVSAE Lotharingiæ oppido, Alſatiæ finitimò, natus, anno M: CCCC: XCVII:

Monaſticam vitam in prima adoleſcentià profeſſus, religionis & honeſti ocij gratià:

Pòſt veritate agnitâ, Pauli exemplum ſecutus, victum aliquandiu Textor opere manuario quæritans:

Argentinæ demum miniſter Eccleſiæ, à magno illo Dei ſeruo M. Bucero pietate doctrinaque ſuâ approbatâ:

Ac dein Auguſtæ Vindel. Paſtor, & Vrbani Regij viri opt. & doctiſſ. ſucceſſor conſtitutus:

In quâ ipſe Euangelicam ſincerè profeſſus doctrinam, tùm concionando, tùm ſacras literas laborioſiſsimis commentarijs illuſtrando, tum Græcorum ſcripta Latinè interpretando, multis denique obitis pro tuendâ verâ religione in Comitijs imperij legationibus, nomen in orbe Chriſtiano adeptus eſt clariſſ:

Bello tandem Germanico exul, Bernæ ſacrarum literarum doctoris in ſcholâ functus munere per totos annos quatuordecim:

Obijt placidâ morte III. Cal. Septemb. anno Chriſti M.D.LXIII. Aet. LXVI.

CONRADI GESNERI.

Musculus ut vastis immensa per æquora cetis
Prænando piscis dux solet esse viæ:
Ne breuia, aut syrtes, scopuliúe, pericula vitæ,
Insidiæúe vllæ, dira creare queant:
Muscule sic Bolgange viam mortalibus ægris
Felicem ad cœlum, nomen ut insinuat:
Monstrabas viuendo piè, sanctéq; docendo:
Nunc terra hæc corpus, sidera habent animam.

EIVSDEM.

Ἰχθὺς ἔνι πελάγει μῦς κήτεσιν ἐστιν ὁδηγός.
καὶ ΜΥΣ ἀνὴρ ἄριστος,
μύστης χριστοσεβής, ΛΥΚΟΒΑΤΗΣ δ' ὄνομα πρώτου
ἐκ μυστικοῦ βαπτίσματος
ἀνδράσιν ἡγητὴρ διδαχῇ τε βίῳ τε βροτοῖσιν,
ἕως ἂν ἔζη, γέγονε.
νῦν δ' ἱερῷ λυκάβαντι λογιζομένῳ ἐνὶ δυσσὶν
αὐτοῦ ὀνόματος, ἦλο
ῥιφθέντος, μετὰ τὸν δὲ βίον πρὸς κρείττον' ἀπῆλθεν
αἰωνίως ζησόμενος.

IN VVOLFGANGVM MVSCVLVM Theologum.

Theodori Benzii.

Magnum dicere musculum pusillum
Quum sit auribus insolens Latinis:
Magnum hunc dicere Musculum quòd ausim:
Quamuis quluere cônditum pusillo,
Si causam rogitas, viator: audi.
Haud quáquam fuit iste mus pusillus,
(Ipsum si libeat vocare marem)
Illarum ex numero famelicarum,
Quæ felis rapidos verentur vngues:
Sed qui ipsos potiùs catos rapaces,
Quantumuis solitos potentiorum
Ipsis cum dominis domos vorare,
Viuus perculit, & suo pauentes
Adhuc nomine territat sepultus.
Immò quem tremuit quoque illa rupis
Tarpeiæ arcibus incubans leæna,
Orbis magnanimos vorans Monarchas.
Magnum & dicere Musculum pigebit,
Quamuis puluere conditum pusillo?

Abrahami Mvscvli.

Musculus hîc situs est doctrinâ clarus & ingens:
Nomen in orbe manet: spiritus astra tenet.

ANDREAS GERARDVS HYPERIVS, Theologus.



Flandria quem genuit, tegit Heſsia, Martis in vrbe:
Quâ fides docui dogmata pura ſacra.

M. D. LXIIII.

ANDREAS GERARDVS HYPERIVS, Hyperis, inclyto Flandriæ oppido natus, anno M.D.XI.

Patre cognomine Andrea, clarissimo apud Hyperas Iure consulto:
Post patriæ Gymnasia aliquàm multa, Philosophiæ pariter, ac Theologiæ studijs, Lutetiæ ac Louanij eruditus:
Perlustratâ ferè vniuersâ Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Britanniâ, vitam sectatus perpetuò Academicam:
Professor demum Ecclesiæ & Scholæ Marpurgi constitutus anno M.D.XLII.
In quà ipse diuinas & humanas literas, vir citra controuersiam eruditissimus simul, ac diligentissimus, totos annos XXII. docuit:
Qui ne mortuus quidem, vniuersam Eccles. Christ. libris scientissimè solidissimeque scriptis erudire desinit:
Plura etiam multò posteris relicturus, nisi maiorem vtilitatis publicæ quàm valetudinis curam gerentem, intempestiua mors sustulisset:
Rebus excessit humanis, anno Domini M.D.LXIIII. Calend. Februar. annum vitæ agens LIII.

ETEOSTICHON.

Flandria quem genuit, Hassia nostra tegit.

IN ANDREAM GERARDVM Hyperium Theol.

Epigrammata.

THEOD. BEZAE.

Non Hyperis dedit hoc, Hyperi, tibi patria quondam,
Quod superis potiùs ducis cognomen ab oris:
Nec tibi sors olim tribuit temeraria nomen
Andrea: at ipsa suo ornauit te nomine virtus.
Hoc sancti mores, teneris hoc omnis ab annis
Vita probat, superûm cura cœloq́; sacrata.
Ecquis enim melius, quisnám te fortius vno
Tarpeia aggressus depellere rupe tyrannum?
Certius an quisquam erranti per deuia turbæ
Commonstrauit iter, superas quod ducit in arces?
Macte igitur virtute, Hyperi, quē nec fera totum
Mors domuit, totū nec seruant claustra sepulcri:
Quin superi meliore fouent iam parte receptum:
Altera dum tumulo quæ nunc pars clausa quiescit
Exanimisq́; licet iam cœlis ad limen anhelat,
Euigilet felix: & quod tu diceris, illud
Euadas, Hyperi, tum re, tum nomine totus.

NICOLAI ASCLEPII BARBATI.

Quo Simeon iustus Christum complectitur vlnis:
Andreas subijt fata suprema die:
Dunisitq́; suum Christi miseratio seruum:
Quem fouet æternâ nunc sixa pace quies.

Petri Pagani.

Hoc tegitur, placidâ sublatus morte, sepulcro
Hyperius: fato iam meliore fruens.
Transijt è viuis ad vera palatia vitæ:
Quemq́; diu docuit, iam videt ipse Deum.
Corpus humi moles, animum sibi vindicat æther:
Scripta piæ munus posteritatis erunt.

Ivsti Vvlteii.

Τύμβος ὅδ' Ἀνδρείεω σῶμ' Ὑπερίοιο καθείργει,
κλεινοῦ εὐσεβέων ἴδμοσυνῃσι λόγων:
ὃν βασιλεῖς ἐγέραιρον, ἐθαύμαζον δὲ γέροντες.
ὤιμοι, ὁ θ' ἡμετέρης κάππεσ' ἔρεισμα σχολῆς.

Nicolai Rodingi.

Scripturæ sanctæ doctor pius atque fidelis,
Hyperius terras linquere iussus erat:
Ille nihil renuens: Fiat tua sancta voluntas,
Care Pater: vocem hanc sæpius ingeminat.
Ac morbi perfert animo patiente dolores:
Testificans veram sæpius ore fidem.
Erudiens natos, diuinam discere legem
Hos iubes, & Domini iussa verenda sequi.
Vxorem verbis quoque consolatus amicis:
Commisit summo seq́; suosq́; Deo.
Postremò manibus tensis ad sidera cœli:
Hanc animam, dixit, suscipe quæso Pater.
Mens pia cœlestis patriæ sortitur honorem:
Hic tumulus tantùm putre cadauer habet.

Quantus eras, vir eras Andrea magne Gerarde;
Par in te virtus, par pietasq́ fuit.
Si taceam, Lani hoc Academia docta loquetur:
Si neget, hoc tua vox muta loquetur idem,
Mortuus & vivus sic tu prodesse laboras:
Tamq́ valetudo non tibi cara manet:
Quàm populi tibi certa salus, & gloria Christi:
Quod suprà in cœlo est, maxima cura tua est.
Cœlo mens defixa, nihil mortalia curat:
Tu curas, superâ quod datur arce frui.
Patria dat nomen; patriæ sed cura supernæ,
Magne Hyperi, nomen verius una facit.

Tumulus eiusdem Marburgi in summo Templo.

Hîc Noviomagi requiescunt membra Gerardi:
Iuxta hunc Andreas conditur Hyperius.
Vt pia doctrinæ concordia iuxerat ambos:
Sic idem amborum contegit ossa locus
Quos sociat tumulus, sociabunt cœlica regna:
Vt capiant fidei Præmia iusta sua.

N. *Rhodingus Pastor.*

Electi gratia dei penitus
excidere non possunt.

Martinus Tri~~bb~~bahius
Holirnus, Ecclesiae
Smolnirensis minister

IOANNES CALVINVS
Theologus.



Gallia me recipit doctore & Scotia Christum:
Pastorem sepelit culta Geneua suum.

M. D. LXIIII.

IOANNES CALVINUS NOVIODUNI
Veromanduorũ celebri oppido natus, an. M D.IX.
Lutetiæ primò Philosophiæ, dein Aureliani &
Biturig. Iurisprudentiæ simul ac Theologiæ exultus studijs:

Basileæ totus Hebraicis addictus literis:
Italiâ dehinc à limine salutatâ, patriæ valedicens Galliæ, iu Germaniam per Allobroges regressus:
Geneuæ, præter spem ac votum, non modò concionator, sed & sacrarum doctor literarum à S.P.Q.G. delectus anno M.D.XXXVI:
Quâ in vrbe Christianam religionem ac disciplinam, Antichristi iugo liberatam, cum Guil. Farello & P. Vireto primus constituit, infinitis cum difficultatibus:
Ob quas deinceps vrbe aliquantisper excedens, Argentinæ interim Gallicanam constituit Ecclesiam:
Restitutus demum Geneuæ, summâ omnium voluntate, denuo instauratam Ecclesiam ac constabilitam, totos annos XXIII. continuos gubernauit:
Commentarijs in sacram scripturam exquisitis, ac prætereà libris permultis dogmaticis, maximè de Eucharistiæ negocio, editis clariss.
Obijt ex Phthisi, vigilijs & ieiunijs immodicis contractâ anno Dom. M. D. LXIIII.
Aetat. LIIII. Maij. XXVII. die.

IN IOANNEM CALVINIVM Theologum.

THEODORI BEZAE.

Romæ ruentis terror ille maximus,
Quem mortuum lugent boni, horrescunt mali:
Ipsa à quâ potuit virtutem discere virtus:
Cur adeò exiguo ignotoq; in cespite clausus
Caluinus lateat, rogas?
Caluinum aßiduè comitata Modestia viuum,
Hoc tumulo manibus condidit ipsa suis.
O te beatum cespitem tanto hospite!
O cui inuidere cuncta poßint marmora!

EIVSDEM.

Te viuo, Caluine, fuit mihi viuere dulce:
Hei, quàm dulce foret, te moriente, mori!
Et tamen est, fateor, grata hoc mihi nomine vita,
Quod, tibi quas fundam, sufficiat lacrymas:
Viue igitur Beza in luctus, tibi ut vsque perennes
Caluini in tumulum vita ministret aquas:
Iunctura absenti donec te rursus amico
Mors pariter vitam finiat & lacrymas.

B. CORNELII BERTRAMII. Ex Hebræo.

Promissam in terram populum deducit Hebræum
Iosua dux, altâ pace iubetq; frui:
Hostes diuincit, terram partitur, obitq;:
Officij ut monuit sedulò quemque sui.

Præstitit ista suis Caluinus, & astra petentem
Spirituum patri reddidit ipse suum.

EIVSDEM.

Est Itali quiddam scorti monstrasse profusos
Luxus, & sordes annumerasse vagas.
At nouisse dolos, simul occurrisse, animoq;
Præsenti libros opposuisse sacros:
Inde Sophistarum nodos soluisse, breuemq;
Et veram ad Christum proposuisse viam:
Aeterna in Christo patris decreta, datamq;
Iampridem electis intonuisse fidem:
Denique ad illius iussa exegisse piorum
Et vitam & mores: hoc opus, hic labor est.
Hæc scriptis & re Caluinus præstitit olim:
Quæ proba vita dedit, mors pia sancit adhuc.


P. MELISSI.

Quid blateras, nobis quasi iam sit lumen ademptū,
Merse Erebi nigro, cæce Sophista lacu?
Aureus obscurâ nunquàm Sol interit vmbrâ:
Nec mutat rutilas ignea stella faces:
Nube licet piceâ, nebulæq; vaporibus atris,
Abscondant radios ille vel illa suos.
Ac velut haud letho sunt occubuisse putandi,
Queîs oculos clausit lenta sopore quies:
Sic quoque viuit adhuc animo, sed corpore summū
Caluinus placidè dormit adusque diem.


Nec tantum viuis modò, sed quondam quod agebas
    Nunc agis, ô magni maxime præco Dei:
Nobiscumq; hodie loquitur, semperq; loquetur
    Spiritus, in scriptis qui viget vsque tuis:
Clariùs & multò splendens tua gloria fulget,
    Lucifer Eois quàm nitet ortus equis.
I procul vmbrisequûm, procul i nigra turba Sophorum:
    Hei nihil ad tenebras lux facit ulla tuas.

L. G.

Pontificum terror, Romanæ buccina verax
    Nequitiæ, & sanctæ relligionis amor:
Iucundusq; lepos, cani venerabilis oris
    Gratia, & Hyblæo lingua referta fauo:
Doctrina excellens, animi præstantia, acumen
    Mentis, & humani deliciæ generis:
Fortis in aduersis animus, prudentia constans,
    Insontesq; manus, scriptaq; plena Deo:
Virtutis studium, & toti lux reddita mundo,
    Canaq; honoranda cum pietate fides:
In miseros non parca manus, pia cura suorum,
    Et quicquid mores non sinit esse malos:
Demisêre caput, quo tu Caluine, sepulcro:
    Et tecum (heu facinus) contumulata iacent.
Mentior: æternis etenim te laudibus ornant,
    Et secum ad superas te rapuêre domos.



ANDREAS VESALIVS ARCHIATER Cæſareus:



Magnus honos, magni mihi credita cura Monarchæ:
Corporis humani fabrica, maior honos.

M. D. LXIIII.

ANDREAS VESALIVS BRVXELLIS, CElebri Flandriæ vrbe, natus anno M. D. XIIII.
Post Philosophiæ vniuersæ studia.

Medicinæ vtriusque scientiam adeptus planè singularem in Italiâ, omnium studiorum parente & altrice:
Naturæ operum in omni vitâ perquàm studiosus:
Sed inprimis fabricæ corporis humani cognoscendæ totus, Basileæ præsertim, deditus:
Cui ipse non modò specimen artis & industriæ suæ sceleton munus hospitale: sed prætereà etiã in vtraque Medicinâ scriptos libros plurimos, & in his præclarissimum illud de Fabrica humani corporis opus, posteris reliquit omnibus suspiciendum:
Ob nominis celebritatem, & artis præstantiam Caroli V. Cæs. Aug. deinceps factus Archiatrus:
Quo ipse munere, summa & fide, & auctoritate, cum laude functus: quum Palæstinæ visendæ studio, tùm religionis, tum naturæ mysteriorum cognoscendorum causâ, flagraret incredibili:
Morbo correptus circa Zacynthum insulam, repentino quidem, sed exitiali:
Obijt anno M. D. LXIIII Aet. L. Mense Octobri.

IN ANDREAM VESALIVM. Bruxellanum, Medicum.

B. ARIAE MONTANI.

Corporis humani qui membra minuta secaret,
Vesalio nullus doctior extiterat:
Hic Medicis auxit, pictoribus auxit & artem:
Dum subit internas, quæ latuêre, vias.

I. S.

Quis sine te felix Medicus, promptusq; Cherurgus:
Ni artis subiectum membra situmq; sciat?
Secula tot pars hæc latuit: porcum atque catellos,
Non homines prisci dissecuêre Sophi.


IOAN. BARTHOLOMAEI.

Artificem monumenta probant: te sectio nostri
Corporis, artificem te tua scripta vocant.

NICOLAI REVSNERI.

Quo non arte prior fuit medendi
Aut Asclepius, aut senex Machaon,
Aut magnus Podalirius: medentûm
Princeps Vesalius celebriorum:
Dum morbi bonus artifex medetur
Cunctis: iam sibi nec medetur ipse
Summus Pæoniæ magister artis:
Fato mortuus heu nimis maligno.

IOANNES LANGIVS ARCHIATER Palatinus.



Archiatrum facit Heidelberga: Sophum facit antè
Lipsia; sed medicum Felsina doctà bonum:

M. D: LXV.

IOANNES LANGIVS LEOBERGAE
celebri Silesiæ oppido, natus,
anno M. CCCC. LXXXV.

Magister Philosophiæ creatus Lipsiæ, anno
M. D. XIIII. Petro VVirtho consobrino,
Collegij Philos. Decano existente:
Quà in Academiâ posteà & bonas literas, fre-
quenti auditorum consessu, professus: &
publicis per annos aliquot fun-
ctus muneribus:
Magnâ cum laude doctrinæ, virtutis, sapien-
tiæ, pietatis, industriæ:
Medicinæ demum studium, maiorum suorum
exemplo, amplexus:
Bononiæ Medicis honoratus clarissimis:
Pisis Hetruriæ summum Docturæ gradum con
secutus, anno M.D. XXII.
Tandem Illustr. Elector. Palatinorum V. Archia
trus, alter ceu Podalirius:
Magno & sibi, & familiæ, & patriæ fuit orna-
mento ac honori:
Monumentis ingenij sui excellentis variâ ac
rarâ cùm eruditione, tùm rerum omnis gene-
ris scitu dignissimarum explicatione
refertis, post se relictis quàm
plurimis:
Præsentibus carus, posteris etiam ad-
mirandus:
Obijt Heidelbergæ senex anno Sal. M.D. LXV.
Aet. LXXX. Iunij die XXI.

IN IOANNEM LANGIVM Archiatrum Palatinum.

ANONYMI.

Aſpice ſpectatæ Medici probitatis agalma:
Biſſeptem cui ſunt luſtra peracta ſeni.
Archiater Comitum Rheni, fidusq́ miniſter:
Sleſia quem genuit, Lipſia quem erudijt.

GEORG. VVIRTHI.

Sæpe Palatinos, veluti Podaliirius alter,
Per mare, per terras ſubſequor ipſe duces,
Decrepiti ſeruat cineres prope Neccaris vndam
Heidelberga: pio mens pia iuncta Deo.

IOAN. POSTHII.

Hac facie ſpectandus eras, clariſsime Langi:
Quum tibi ſupremum dicerem iuuenis, vale.
Nunc canus tua buſta, Pater, cineresq́ ſaluto:
Poſt luſtra quinque redditus Nicro meo:
Officioq́ tuo magnâ defungor in aulâ:
Vtinam pari cum dignitate & gloria?
Fama tuas reſonat laudos, tua ſcripta leguntur:
Audisq́ vates pariter, ac Medicus bonus.

PHILIPPI SPRENGERI.

ac ſpectandus erat Medicus ſub imagine quondam
Langius, ingenio maximus, arte potens.

Posteritas hunc ut, quem noscit, cernere possit:
Fecit Sprengerus Pharmacopola virum.

IANI BARTHOLOMAEI.

Iane tuus codex est valdè docta supellex:
Hunc ait esse decus Bibliotheca suum.

MARTINI PRAETORII.

Qui quondam medicas ægris feliciter herbas
Miscuit, & doctâ pharmaca certa manu:
Occidit ecce tuos non infimus inter alumnos,
Carminis & medicæ Phœbe repertor opis?
Occidit hæi pia cura Ducum, dum fata sinebant,
Langius, & summum clausit in orbe diem.
Non ars artifici tulit, aut Panacæa salutem:
Vlla nec huic succo profuit herba suo.
Hæc igitur studijs soluentur præmia nostris?
Hæc merces hausti digna laboris erit?
Arte Machaonia lucis qui prorogat usum,
Fertq́ꝫ alijs promptam, ceu Deus alter, opem:
Non potuit miscere suo medicamina morbo?
Sed fuerit doctà fortius arte malum?
Ecquis, Phœbe, tuâ tempus consumat in arte,
Si plus arte tuâ fata severa valent?
Heu nimium duras, fatalia numina, Parcas,
Parcere quàm vestræ non didicêre manus!
Siccine fas vobis, communi mittere letho
Præstantes meritis & pietate viros?

Nec vos integritas, nec multa ſcientia rerum,
Nec movet, innocuâ cum probitate, fides?
Sed quid lanificas fruſtra perſtringo ſorores?
Verba quid Aeolijs irrita fundo Notis?
Scilicet hæc veterum ſunt ferrea iura dearum,
Vt ſimili cunctos ſub iuga lege trahant.
Ergo age, quò meriti buſto referantur honores,
Et dentur cineri debita juſta pio:
Chloris amica veni, rerum pulcerrima Chloris:
Fer tumulo plenâ dona ſuprema manu.
Dá caſiam, fragransq́ thymũ, nardumq́ virentẽ,
Miſtaq́ purpureis lilia ſparge roſis.
Da violas, roremq́ maris, da maſcula thura:
Spiret odorato fac Libitina ſolo.
Hoc præclara viri meruit doctrina fidesq́:
Hoc meruit virtus, & pietatis amor.
Et vos exequias vmbris perſolvite Muſæ:
Hisq́ ſacrata viri buſta notate modis:
Quantum inter reliquos argentea lilia flores,
Aureolas tollunt vere tepente comas:
Tantum Pœonios caput extulit inter alumnos
Summus Apollineæ Langius artis honor.


HIERON. REVSNERI.

Hic vir hic eſt, vlli medicorum haud arte ſecundus
Langius: excellens enitet ore decus.

Illum nulla dies vnquam memori eximet ævo:
Pæoniam dubius dum petet æger opem.
Felix felicem, adſertis feliciter ægris,
A ſerâ laudom poſteritate tulit,
Teſtis erit clara Heidelberga, vigentq́ per orbem
Scripta viri, pietas, candor & ingenium.

N. REVSNERI.

Langi clare ſenex, venerande nepotibus ipſis,
Accipe pro lacrymis poſthuma verba meis.
Te Leoris genuit, docuit te Lipſia clara:
Quæ cathedram rurſus dat tibi ſponte ſuam.
Te Medicum, Medici coniunctum mente Leoni,
Felſina, Piſarum te ſchola docta creat.
Archiatrum tandē facit Heidelberga: medentem
Aula Palatini principis ampla colit.
Magnas hæc & opes, & honores contulit amplos:
Contulit & tumulum grata deinde ſeni.
Corpore dum ſpoliat te ſex poſt luſtra decemq́.
Spiritus ut celsâ viuat in arce Deo.
Salue care ſenex: ſemper tua fama manebit:
Ingenij viuent & monumenta tui.



CONRADVS GESNERVS PHILOS. & Medicus.



Plinius alter eram: per me vis iam liquet omnis
Naturæ, ingenij vi superata mei.

M. D. LXV.

CONRADVS GESNERVS TIGVRI,
vrbe Heluetiæ primariâ, natus anno
M. D. XVI.

Poſt patriæ ſcholam, Argentinæ primò, dein
Biturigibus Auaricum, & Lutetiæ Pariſ.
optimis eruditus diſci-
plinis:
Lauſannæ pòſt Græcas profeſſus literas
per triennium:
Baſileæ demum ſupremam in Medicinâ
laureolam adeptus:
Tandem conſtituto Tiguri perpetuo domicilio:
Quâ in vrbe is & medicinam fecit, & Philo-
ſophiam publico docuit ſtipen-
dio, annis XXIIII.
Pietate duce, virtutibus reliquis comitibus,
omnia naturæ arcana perſcrutatus:
Dum de aliorum vtilitate promouendâ magis,
quàm de propriâ ſalute tuendâ cogitat:
Editis in omni literarum genere, præſertim
verò Medicinæ & Nat. Philoſ. lucubra-
tionibus clariſſ.
Philologus & Polyhiſtor,
Germaniæ lumen, Heluetiæ decus:
Eccleſiæ, Scholæ, Reipub. bonorum denique
omnium cum incredibili luctu:
Blandiſſ. eademque atrociſſ. peſtil. abſumptus:
Obijt Tiguri,, anno M.D.LXV. Aet.
XLIX. XIII. XBR.

IN CONRADVM GESNERVM Philoſ. & Medicum.

THEODORI BEZAE.

Te cœlo mutante ſolum, Geſnere, volucres
Quæcunque pennis aëra permeant,
Repleuêre modis omnia triſtibus:
Migrantem amicum extrema ſupra ſidera
Omnes cum gemitu graui inſequutæ.
Te cœlo mutante ſolum, Geſnere, feroces
Gemunt in antris belluæ,
Et ſtabuli pecudes oblitæ:
Sibilis colubri te feri gemunt lugubribus,
Imisq́ quotquot ſub cauernis
Occulta terrarum colunt:
Et flaccidum plantæ virentes,
Et pallidum flores nitentes,
Et flaccidum arbores comantes.
Regna te per humida
Et belluoſus qua ferit vndique
Reboantia littora pontus,
Planctu ſonoro deflet Amphitrite:
Et liquidis ſub aquis piſces natantes mutitant.
Natura te omnis denique ut ſuorum fidum antiſtitem
Plorat ſacrorum, muta
Futura deinceps, ni loquaris mortuus.

Hæc inter tibi turbatus, Geſnere, parentat
Beza tuus, vati vates, & amicus amico,
His incompoſitis innumeris numeris.

IOAN. CRATONIS.

Lux veterum, ſecliq; ſui decus, atque ſequentûm
Dulcis amor, triſti conditur hoc tumulo.
Pars melior viuet ſcriptis & mente bonorum
Condita, & in Chriſti morte recepta ſinum.
Viuet & in me ipſo, dum vitam morte lucrabor:
Vtque ero, quod nequeo corpore, mente Crato:

HENRICI STEPHANI.

Vix quinquagenos implens, Geſnere, Decembres,
Fata imples vitæ præproperata tuæ.
At te poſteritas annos impleſſe Sibyllæ
Dicat, tot libros vel neget eſſe tuos.

ACHILLIS P. GASSERI.

Quos iungebat amor, nunc peſtis diſgregat atrox:
Tu gaudes cœlo, quando ego verſor humo:
Sed tua ſic virtus, Geſnere, meretur abundè
Felix ut viuas ſemper apud ſuperos:
Gaſſerumq; decet, gratis nunc laudibus ut te
In terris ornet, ſit memor inde tui.
Iuppiter indigno dum doctos eximit orbe,
Monſtrat ſe iratum, Barbariemq; dabit.

THEOD. ZVINGERI.

Plinius hic ſitus eſt Germanus: perge Viator:
Geſneri toto nomen in orbe volat.

RVDOLPHI GVALTHERI.

Si doctrina, fides, pietas fera fata morari
Possent, Gesnerus non moriturus erat.

IOAN. VVOLPHII.

Multa legens, tnm multa docens, benè deniq; scribens,
Multis de morbis clara trophæa tuli.
Nunc vbi confeci cursum, & mea fata peregi:
Maximus his actis accumulatus honos.
At modò defunctus nunc istâc condor in vrnâ
Corpore, non animâ, quæ viget atque valet.
Hic mihi per Christum promissâ pace quiesco,
Exemptus curis omnigenisq; malis.

CASPARI VVOLPHII.

Ars medica, & linguæ, stirpes quod denique, Musæ
Sunt passæ eclipsin, mors tua causa fuit.
Det Deus ergo alium, lumen qui reddat ijsdem,
Gesnerum, & studijs pergat adesse bonis.

IOANNIS FABRICII.

Quid miser in tumulo Gesneri figis ocellos?
Hîc iacet, exuuias præter & ossa, nihil.
Amplius exili nequijt mens corpore claudi:
Cui nimis angustus maximus orbis erat.
Quicquid enim tellus, quicquid mare gignit et aër
Ingenio tanti cesserat omne viri.
Vnus erat reliquus, qui iam restabat, Olympus:
Disceret in summo nunc vbi cuncta Deo.

P. MELISSI.

Gesneri postquàm tristes morientia Musæ
Viderunt atrâ lumina nocte tegi:
Pro versu gemitus, lacrimas pro carmine fundunt
In gemitus carmen, versus it in lacrimas:
Prætexitque nigro Phœbus velamine frontem,
Plùs fatum, mœrens, arte valere suâ
Attamen ut tumulo meriti reddantur honores:
Nec tanti iaceat fama sepulta viri:
Protinus Hesperidum selecta fragrantibus hortis:
Pierides cineri dona supréma ferunt:
Ambrosiam, roremque maris, nardumque virentem,
Scilicet & flores ô Hyacinthe tuos:
Spargunt & violas, & purpureos amaranthos:
Inscriptisque locant marmora cæsa notis:
Qui jacet hîc, qualis quantusque prioribus annis
Gesnerus fuerit, charta loquetur anus.

FELICIS TRVBII.

Quum nossem terras, nossem genus omne ferarum
Aethereumque genus, squamigerumque genus:
Plantarum seriem quum vellem ponere certam:
Mors operi intentum repperit atra meo.
Et Gesnere tibi, dixit, spectanda supersunt
Nunc tandem rutili sidera celsa poli.
Linque igitur terras, & corpora linque caduca:
Cum Christo in cœlis viuere posse datur.

GEORGII FABRICII.

nuidiâ maior Gesnerus morte peremptus
In patriâ, magnâ laude quiescit humo.
Hunc fleuit natura parens: fleuere quot effert
Terra herbas, pisces flumina, silua feras.
Dignus erat meritis, qui tempore viueret omni:
In terris omnes sed rapit æqua dies.

N. REVSNERI.

Siste parum, manesq; iube saluere Viator:
Conditus hic rarâ vir pietate iacet:
Ingenij magni magnis qui dotibus auctus:
Cultor Apollineæ sedulus artis erat.
Nota viri pietas satis est, testataq; virtus:
Nota domi rerum gloria, nota foris.
Candidus, innocuus, iustus, bonus, integer, æquus,
Et probus, & vero dignus amore fuit:
Calluit herbarum vires, vsumque medendi:
Nouit & ætherei sidera clara poli.
Abdita naturæ scrutatus iura sagacis:
Præclaros medicâ scripsit in arte libros:
Quos nec longa dies, nec serior opprimet ætas:
Mors ius in famæ non habet atra decus.
Corpus humo positum requiescit: nomen in orbe,
Spiritus excelsâ viuit in arce Deo.
Quisquis es, ô requiem cineri, pacemq; precatus,
Incertas lethi disce timere vices.

MODESTINVS PISTORIS Iuriſconſultus.



Iure Modeſtinus fuit olim clarus: vtroque
Iure Modeſtinus ſum quoquo clarus ego.

M. D. LXV.

MODESTINVS PISTORIS, SImo. F. Sim. N. Nicol. Pron. Lipsiæ natus anno M.D.XVI:

Quem & patria atque domestica disciplina erudijt sedulò: & Italia per totũ quinquennium omni liberali doctrinâ, ac inprimis Iurisprudentiâ excoluit mirificè:
Legum in patriâ consultus Doctor, & facultatis Iurid. Ordinarius:
Saxoniæ Elect. Princ. Consiliarius, & Iudicij Curialis Assessor Perpetuus:
Quin & Proaui Cos. Lips. & Aui Medici, & Patris Iurisc. Præstantiss. exemplo, per multos annos Consulari functus dignitate:
Magnâ cum laude dignitatis, virtutis, sapientiæ, iustitiæ:
Magni illius Modestini, veteris IC. Rom. vt nominis, ita ingenij ac studij consors digniss.
Non tàm ætate consumptus, quàm laborum pertinaci asiduitate fractus:
Cum max, non suorum modò, sed totius Reip. extern. quoque luctu.
Piè ac religiosè ex hac vitâ excesit Anno Sal. M. D. LXV. Aet. XLVIII. M. IX. D. VI.

IN MODESTINVM PISTORIS Iureconſultum.

EPIGRAMMATA.

MATTHIAE GROSII.

Qui ſub Alexandro quondam ſacrata Seuero
Iura Modeſtinus tractans, dubioſq́ reſoluens
Ambiguæ Themidis nodos, laudabile nactus
Nomen, in æternum meruit clareſcere ſcriptis:
Noſtra Modeſtinum, claro quem clara parente
Lipſia progenuit, non inferiora ſecutum,
Nec cuiquam veterum doctrinæ laude minorem,
Secula non magni faciant, venerentur, amentq́?
Teſtis opus præſens fidei, prudentiæ & almæ
Integritatis erit, queîs ciuica iura profeſſ
In patriâ fulſit Phœbeæ lampadis inſtar:
Dij facite, Hartmannus viuat Piſtorius, ortu
Nobilis, ingenio magnus, meritiſq́ celebris:
Cuius ope accipiunt lucem geniumq́ labores
Fraterni, & legum capit incrementa facultas.


N. REVSNERI.

Quanta Modeſtino Iuris prudentia magno,
Conſilij grauitas quanta, fideſq́ fuit:
Tanta Modeſtino Iuris prudentia noſtro,
Conſilij grauitas tanta fideſq́ fuit:
Lipſia maiorum claro quem protulit ortu:
Quos artis medicæ, Iuris & ornat apex.


Multum cui Schola, cui debet Respublica multum
Illius doctor, Consul ut huius erat.
Multum debet & ipsa potens cui Saxonis aula:
Consilio patriæ rexit ut ille duces.
Consilio quantus fuerit, monumenta loquuntur
Publica, cordato pignora digna viro;
Cætera prætereo: pietas, sapientia, virtus
Cunctis nota, suum promeret ipsa decus.
Patria post vitæ sepelit septennia septem
Corpus: at in cœlum mens reuocata redit.

GREGORII. BERSMANNI.

Ingenium, virtus, sapientia, Gratia, Splendor,
Vrbis honos, Aulæ Gratia, Fama scholæ:
Cuncta Modestini lugent Pistoris ad vrnam:
Lipsia sed cunctis tristior, orba gemit.
Et meritò: quoniam Iuris consultior illo
Consule nullus erat, nec magis vrbis amans.
Non mors hunc rapuit: terras Astræa perosa
Noluit hunc terris longiùs esse super.



IOANNES MATHESIVS
Theologus.



Præco metalliferæ Ioachimi valle Sareptæ:
Ipse potens calamo, voce disertus eram.

M. D. LXV.

IOANNES MATHESIVS ROCH-
licij Misniæ oppido natus anno
M. D. IIII.

Multijvgâ eruditione Vitebergæ sibi comparatà, sub opt. & clariss. doctoribus M. Luthero, Ph. Melanthone:
Ludi literarij primò Magister, ac dein Pastor Ecclesiæ in valle Ioachimicà fideliss. Pariter, ac vigilantiss.
Cuius pietas & constantia eximia, cæteræque virtutes, admirabilis denique ac pænè diuina fàcundia, & in docendo dexteritas singularis nunquàm satis dignè prædicari poterit:
Præclaro Meditationum & Concionum sacrarum Thesauro, de omnibus fidei Christianæ capitibus, piæ posteritati fruendo perpetuò, post se relicto:
Pro concione, finem vitæ præsagiens, suę valedicens Ecclesię:
Moritur Apoplecticus anno Christiano M.D. LXV. Aet. LI. Non Octobr.

EPITAPHIVM.

Securus recubo hic mundi pertæsus iniqui:
Et *didici, & docui vulnera* Christe *tua.*

IN IOANNEM MATHESIVM Theologum,

BALTHAS. MENTII.

Talis erat docti facies veneranda Mathesi:
Quando fidem Christi voce professus erat.
Patria Rochlicium est: sed Leucoris alma fidelem
Discipulum adiunxit, sancte Luthere, tibi.
Ex Sophiæ studijs fructum percepit, & ipsi
Eximium attribuit Pallas in arte gradum.
Fraterno coluit quem magnus amore Melanthon,
Quiq; sacer templi rector Eberus erat.
Valle Ioachimicâ munus doctoris obivit:
Arguit & fraudes, impie Papa, tuas.
Quin etiam vicit diuinâ voce cateruam,
Sacra petit varijs quæ tua Christe dolis.
Sola hîc ora vides si vis & cernere pectus,
Scripta lege: & nosces pectus & ora viri.
Corpus habet tellus: mens viuit in æthere, donec
Iungatur carni rursus, ut antè, suæ.
Intereà, bone Christe, pios largire ministros,
Qui simili doceant agmina sancta fide.

IOAN. LAVTERBACHII.

Fidelibus Deus ministris præmium.

Præco sacrosanctæ Triados, diuine Mathesi:
Quo Christus patuit sacra docente lytron:

Cura ministerio tua non modò profuit vrbi:
Obtinuit nomen quæ Ioachime tuum:
Profuit vtilibus quoque magno fœnore libris,
Quos terit assiduâ Teutonis ora manu.
Præmia pro tanto numeret tibi digna labore,
Vltima iudicij quum ruet hora dies.
Dicimus intereà memori de pectore grates:
Optamusq; tuos sors ut honesta beet.
Fidas haud operas Deus orbe relinquit egentes:
Inq; solo ditat commodus, inq; polo.

GEORGII FABRICII.


Mathesius magni facundus præco Prophetæ,
Functus honorifico munere, spectat humum.
Quicquid habet pulcri Germanica lingua nitoris,
Ingenio cœpit comptius esse tuo.
Siue tuos voluo libros, miramq; Sareptam,
Siue venustatis carmina tincta fauo:
Nectareum miror laticem: tibi florat vrna:
Fracta labore graui nec premat ossa lapis

P. CANDIDI.


Quà matris scrutata sinus nitida ære metalla
Eruit ex imis Misnia visceribus:
Illic verba pio diuina Mathesius ore
Tradidit: hôc præstans pulcrius officium:
Quò pia Relligio splendenti est pulcrior ære:
Aera, ad opes verbi, nil rationis habent.

GEORGII CALAMINI.

Hoc Mathesius est loco sepultus:
Qui cùm singula, quæ docet Mathesis,
Calleret: tamen huic Dei Mathesin,
Verbi scilicet enthei Mathesin,
Humanæ antetulit pius mathesi.
Nunc cœlo viget, ac videt, quot vnquam
Christo pectora cœlitùs renata
Conquisivit, & imbuit mathesi
Et quæ non licuit videre carni
Aut inquirere: iam perennè plenâ
Rerum mens ovat omnium mathesi.



IOANNES DRACONITES Theologus.



Tam benè tot linguis apto dum Biblia sancta,
Heu morior. morior? nunc quoque viuo Deo.

M. D. LXVI.


IOANNES DRACONITES Caroloſtadius Francus:

Primo ætatis ſuæ tempore in ſtudijs literarum & doctrinæ Erfordiæ conſumpto:
Quas eodem in loco, honores adeptus ſcholaſticos, aliquandiu publicè & priuatim cum laude docuit:
Sacros. Theol. Doctor Vitebergæ renunciatus:
Pòſt Marpurgi: deinceps Roſtochij ſacras profeſſus literas:
Dehinc Sambienſis Eccleſiæ Præſul conſtitutus:
Inde Vitebergam regreſſus, opus Biblicum quintuplex, ad inſtar celebratę illius monumentis veterum Origenis operę, ut & alterius recentioris Complutenſis, animo agitans.
Cuius ſpecimen in medio reliquit ſanè egregium, & poſteris admirandum:
Inter pios & ſanctos conatus, vir optimus, & doctiſsimus, ac inprimis linguæ Hebreæ, Chaldeæ, Græcæ, Latinæ, præter vernaculam, peritiſsimus, è vita euocatus:
Magno Reip. & Eccleſiæ cum detrimento.
Obijt Vitebergæ maior Septuagenario, anno Sal. M. D. LXVI. XVIII. Aprilis.

IN IOANNEM DRACONITEM Theol. Acad. Marpurg.

H. EOBANI HESSI.

Postquàm est aperta, & explicata veritas
Per scripta Christiana, per verbum Dei:
Vt ipsius vel è media plebe infimi
Mysteriorum conscij, nil ambigant:
Quin constet Antichristidos regnum scholæ
Venisse in ista, & perdidisse tempora:
Quid ni fateamur Antichriston impium
Exterminandum Christianis omnibus,
Ac persequendum Christianis omnibus
Constante veritate, scripturâ, fide:
Ne pergat vltrà Christianos fallere
Tyrannicâ crudelitate & fraudibus.
Si fortè quæris illius potentiam
Nouisse, plus quàm regiam potentiam,
Auctoritate quæ sit ad verbum Dei,
Quod ipse deprauârit improbißimè,
Et plura eodem scripta pertinentia:
Hæc cerne scripta, quæ Draconites tibi,
Sed scripta pauca, at erudita condidit:
Quæ Christianæ veritatis maximam
Partem, scopumq́; persequendum continent.




GEORGII FABRICII.

Vrna Draconiten tegit hæc doctumq; bonumq;,
Laudatumq; piâ ſedulitate ſenem.
Ille ſacros libros Ebræa, Latina, Pelaſga,
Chaldæa, in vulgus ſcripta daturus erat:
Nondum finito quem linquit vita labore:
Quanta vnus ſtudijs facta ruina ſenex!

P. MELISSI.

Hos cineres, hæc buſta Fides innoxia ſeruat,
Dulcisq; Spes & Caritas:
Filiæ Iouis inclyti, ſorores.
Prima ſacras lauri frondes, at proxima palmæ
Spargit virentis ramulos:
Mitis vltima gemmulas oliuæ.
Salue care ſenex: tu nunc quaſi ſtellula fulges
Celſo nitens in æthere:
Hoc tui precium laboris eſto.



GVILIELMVS GRATAROLVS
Bergomas Medicus.



Cara valetudo medico sua, cara suorum:
Vt rectè valeas, te mea scripta docent.

M. D. LXVI.

GVILIELMVS GRATAROLVS
Bergomo, Galliæ Cisalpinæ oppido natus:

Medicus & Philosophus excellens:

Physiognomon inprimis, & naturæ speculator solertissimus:

Memoriæ & valetudinis tuendæ servandæque libris accuratè pulcreque scriptis celebris:

Chemicorum etiam præcipuorum monimentis vno editis volumine.

Aliorum prætereà clarorum Medicorum Consilijs publicatis:

Toto terrarum orbe cognitus:

Ex vita decessit mortali anno
M. D. LXVI.

LEONHARDVS FVCHSIVS
Medicus.



Artem si Medicam spectas, nouus ipse Galenus:
Si plantas, nouus en exsto Dioscorides.

M. D. LXVI.

LEONHARDVS FVCHSIVS VVEMBDIN-
gæ, Rhetię oppido, natus anno M.D.I.

Primis literarum rudimentis Heilbrunnę positis
Per omnes honores aſcendendo ſcholaſticos:
Bonarum artium Baculaureus Erphordię ſalutatu
Magiſter Philoſophię, Ingolſtadij: & aliquot
annis pòſt Medicinę Doctor appellatus:
Quam & publicè aliquandiu profeſſus eſt ea-
dem in Academià, ſummà cum fide &
diligentià:
Pòſt Onolsbachij medicinam factitans, Princ.
Marchionum Brandeb. Archiatrus:
Inde Ingolſtadium reuocatus, ſed religione ob-
ſtante Onolsbachium regreſſus:
Tubingam denique ad Medicinam publicè
docendam euocatus:
Quam ipſe & ratione optimà, & oratione ſa-
pientiſsimà, multis annis fideliter & ſtudiosè
explicauit, magnà cum admiratione
omnium, & gratià:
Commentarijs pręterea innumeris, ſpectatę
eruditionis atque ſcientię, in omni medicinę
genere illuſtrauit plurimum:
Exemplum diligentię & laboris:
Decus & ornamentum Academię ſingulare:
Optimè de pręſentibus poſterisque meritus:
Summà cum teſtificatione conſtantię & fidei in re
ligione obijt in Chriſto feliciter VI. Idus
Maij, anno M.D.LXVI. Aet. LXV.

IN LEONHARDVM FVCHSIVM Medicum.

IOAN. LAVTERBACHII.

Securus ambulat ſequens viæ ducem.

Quale Dioſcorides medicâ præclarus in arte
Herbarum nomen cognitione tulit:
Tale ſuâ meruit, maius quoque, Fuchſius arte,
Herbarum nulli cognitione minor.
Herbarum proprijs naturam viribus ille
Vt tantum nudè prodidit absque typis:
Sic tribus hic omnes veris iconibus herbas
Exprimit ingenio dexteriore tomis.
Arte Dioſcorides quod Graijs: Fuchſius iſtud
Non modò Germanis, omnibus orbe locis.
Ne ſit opus terras vitæ penetrare periclo:
Ne iuga, vel valles, vel nemoroſa loca:
Absque labore tomis herbas cognoſce. fouere
Auguſtas medicæ qui cupis artis opes:
Dux bonus herbarum ſpecies, vireſq; miniſtrat.
Haud errat, graue qui cum duce tentat iter.

IANI BARTHOLOMAEI.

Tu licet ingenio ſis clarus & arte medendi:
Par tamen eſt meritis gloria nulla tuis.

MARTINI CRVSII.


Φούκσιος ὁ κλεινὸς θάνε, τὸ κλέος ἐντήρων
Φούκσιος, ὃς βοτανῶν πλῆθος ἔδειξε τόσον.

Φούκσιος, οὗ βίβλοι γνῶσ' ἀντολίῃ τε δύσει τε,
    Φούκσιος, ὃς λαμπρὰν πᾶσι Τύβιγγαν ἔθη.
ἡμῖν μὲν λίην ὀδυνηρῶς, Φοῦκσιε κλεινὲ,
    ἐκπνεύσας, σαυτῷ ἀσπασίως δὲ πάνυ.
Φῆσθα γὰρ, ἀλλύειν γλίχομαι, χριστῷ τε συνεῖναι,
    ὡς ἐπὶ γῆς εἰμὶ χρήσιμος οὐδὲν ἔτι.
γενναίως τάδ' ἔφησθ', ἠδ' ἄλλα, Λατινίδι φωνῇ,
    ὥσπερ ἂν οὐκὶ νοσῶν, ὥστε με θαυμάσ' ἄγαν.
ὡς οὖν ἀργαλέον Σιμεῶνα σε κύριος οὕτως
    νῦν ἐς ἀθαύτον δμῶ' ἀπέλυσε χαράν.

Leonhardi Engelharti.

Fuchsius occubuit, medicorum gloria rara:
    Fuchsius herbarum nomina multa notans?
Fuchsius ex scriptis toti notissimus orbis
    Fuchsius ille tuum, cara Tubinga, decus.
Est ingrata quidem nobis, ô inclyte Fuchsi,
    Nunc tua mors, aderat quæ tibi grata tamen.
Dicebas quia: Dissolui, Christumq́ue videre
    Gestio: nunc terræ commoda nulla fero.
Dicebas animo forti hæc, & plura Latinè,
    Ceu non ægrotus: res ea mira fuit.
Te Deus ergo bonum seruum, veluti Simeonem,
    Dimissum iussit regna subire poli.

IOANNES OPORINVS Basiliensis.



Si famam æternam Typicæ do ſedulus arti:
Aeternum cur non reddat & ipſa decus?

M. D. LXVIII.

IOANNES OPORINVS BASIL.
Typographus

Doctus, Operosus, Elegans:
Libris innumeris

Partim à se scriptis, partim publicatis:

Virtutum Hærede ex IIII. coniuge, vnico
relicto:

Pub. Lacrimis: Priuatâ pietate:

Sexagenario Maior moritur.

Anno M. D. LXVIII. VI. Iulij.

Natus anno M. D. VII. Die XXV. Ianuarij.

*

Frugifer Autumnus perijt, Dijs notus & orbi:
Orthion elapsus nautis, meditatur Arion.

*

Quantula sint hominum corpuscula, disce viator:
Magnus Oporinus conditur hoc tumulo.

IN IOANNEM OPORINVM.

LVDOVICI ROCHEFORTII.

Quis sit Oporinus, si percontaris, & ipsum
Exiguo hoc claudi marmore posse putas:
Rusticus es, toti cùm sit notißimus orbi:
Tota ipsi tumulus terra nec esse queat.

IOAN. SAMBVCI.

Quis tua non vidit præli monumenta labores?
Quæ minima aut caruit bibliotheca typis?
Ars fuit inuenta hæc Germanis, laude perenni:
Extulit hanc Aldus, perpolijtq́ rudem.
Perfectam exerces sex & triginta per annos:
Cæsaris ut superes nomine rebus opes.
At tibi iam emerito pateant cœlestia templa:
In terris semper nomen honosq́ vigent.

HIERONIMI VVOLFII.

πᾶσα Ὀπωρινοῦ μνημήϊα βιβλιοθῆκαι:
σῶμα δὲ κεκμηκὸς σῆμα τόδ᾽ οἶον ἔχει.

GVILIELMI XYLANDRI.

Aurea non mortalis adiuit Oporinus astra:
Parte sui repetens deteriore solum.

GEORGII FABRICII.

Immortale decus tibi donat Oporine virtus,
Famaq́ stellifero, quæ volat alta, polo.
Nam per te Latij libri Graijq́ leguntur:
Doctrinæq́ nouâ laude reuixit honor.

Clauderis exiguâ magno sub nomine terrâ:
Sed claudi tumulo gloria tanta nequit.
Nam quot habent apices, tua quot monumenta figuras,
Tot meritis par est reddere grata tuis.

CAROLI VTENHOVII.

Lumine si caßis potuit qui reddere vitam
Nuper Oporinum mors tamen atra tulit:
Heu quantis tenebris te circumfusa manet nox,
Luce nihil dignum qui meditaris homo.
Sol simul occubuit, iubar occuluitq́ coruscum,
Ceu moriens lucis linquit in orbe nihil.
At sua Oporinus maior post fata resurgens,
Quo caret, hoc aliis donat habere iubar.

EIVSDEM.

Quisquis Oporinum fatis ceßisse dolebit,
Hic & Oporinum doleat vixisse necesse est:
Quem vixisse semel veniens lætabitur ætas.


PAVLI MELISSI.

Ver, autumnus, hyems redarguebant
Aestatem, quòd Oporino fuisset
Mortis causa: magis sed ipse multò
Autumnus malè ferre, ferre iniquê,
Suum quòd sibi Oporinum necasset
Aestas morbida Sirii noverca
Queîs Tempus: Remouete, ait, querelas:
Immutabilis hanc Dei voluntas
Olim iam sibi destinârat horam.

Ioannis Lavterbachii.

Aeterna doctorum labore gloria.

Quo studio priscos illustris Oporine vates,
Quoq; novos cures ære, labore, typis:
Quem latet? hic oculos modò si recludere tentet,
Vrgeat hos quamvis ex adamante sopor.
Vt magis integri placeant, cultiq; legantur,
Te studijs donas, & tua cuncta bonis.
Inde tuum terris florebit Oporine nomen,
Florebunt terris dum labor, æra, typi.
Aere, labore, typis vates qui promovet, ipso
Nomine fit vivax ære, labore, typis.



PETRI PITHOEI.

Prodesse dum vult litteratis omnibus,
Remq; ampliare litterariam studet,
Oporinus artis litterariæ decus,
Absumsit omne patrimonium lubens:
Sumsitq; volens vndecunque mutuò.
Aeratus ergo cessit? imò ærarius,
Plures rei eius debitores cui sient,
Quos delegare creditoribus queat.


MICHAELIS GRAVII.

Cur citharæ neruos impellere gaudet Arion?
Delphini insistit pes, premit alter humum?
Scilicet indignè iactatus Oporinus alto,
Nauigat in portu, numine Christe tuo.
Sicq; vel inuitis piratis, liber ab omni
Curâ, cœlesti lætitiâ fruitur.
Carmina permulcent ratione carentia bruta:
Flectere sed nequeunt cum ratione homines.
Cedite, quos auri fames insatiabilis vrget:
Elapsa est ipso remige præda Deo.
Intereà toto celebratus Oporinus orbe,
Aeternæ meruit laudis habere decus.

NICOLAI REVSNERI.

Tot libros mundo qui protulit, instar Oporæ,
Quæ varias cornu diuite fundit opes:
Hîc situs est operosus Oporinus. Ergo & Arion
Cum cultore suo iam requiescit iners.

GILBERTVS LIMBVRGIVS Medicus.



Hippocrates medicus, medicus ſit & ipſe Galenus:
Par vtrique manet per me Auicenna meus.

IOANNES SCHNEIDEVVINIVS
Iuriſconſultus.



Iuris & interpres ſum, iuſtitiæq́; ſacerdos:
Si taceam, libris conſtat id omne meis.

M. D. LXVIII.

IOANNES SCHNEIDEVVINVS STOLbergæ natus in Turingia, anno M.D. XIX.

Puer admodum Vitebergam miſſus, ſtudiorum causâ: & M. Luthero, à quo filij loco ſemper habitus fuit, commendatus:
Præceptore vſus domeſtico Vito Theodoro Theologo clariſsimo:
Ciuilis ſapientiæ cognitione inſtructus egregiâ:
Perbenignè in aulam Sacr. Rom. Imperij Comitum Schuarceburgicorum accerſitus, quibus à conſilijs fuit per integrum quadriennium:
Pòſt reuocatus inde in Academiam perhonorificè, & in eâ ſummos adeptus honores in Iuriſprudentiâ:
Neque ſolùm in Collegium Iuridicum, ſed & Iudicium allectus Prouinciale:
Operam Reipub. & docendo, & dicundo iure nauans vtilem ac fidelem, per annos XX.
Quum non magis iuris, quàm iuſtitiæ, & æquitatis conſultus videri vellet:
Commentarijs in aureolum illud opus Inſtitut. Imp. ſanè locupletiſsimis & foro præſertim accommodatiſsimis, plurimum Reip. atque adeò omnibus Iuriſpr. ſtudioſis etiam in poſterum profuturus, & in his cum grata ſui memoriâ, & multorum vtilitate perpetuò victurus:
Obijt Serueſtæ Apoplexiâ anno M.D.LXVIII. Aet. XLIX: Sepultus Vitebergæ, ad latus M. Lutheri, quo ipſe in vita hoſpite ac Magiſtro ad pietatem vſus fuerat.

IN IOANNEM SCHNEIDEvvinium Iureconſultum.

MARTINI HENRICI.

Quem fœcunda tulit venis Stolberga metalli,
Lumine ſed verbi ditior illa ſacri:
Hæc eſt Oenotomi Iani doctoris imago:
Effinxit Lucæ quam tibi docta manus.
Carus erat Luthere tibi, ceu filius: inſtar
Hunc quoque fouiſti, docte Philippe, patris.
Relligionis amans, veri ſtudioſus, & æqui:
Integer & vitæ vir, fideiq́ꝫ fuit.
Laudibus eſt dignus geminis, dum certat vtrunq;
Iuris in hoc, ſanctâ cum pietate, decus.
Semina Romani iuris, ſub Leucoris vrbe,
Cum binis annis per tria luſtra docet.
Dum quid ſit rectum, quid iniquū è lumine verbi,
Ac iuris, facili dexteritate videt.
Luſtra nouem vitæ cum quatuor egerat annis,
Quum Deus hunc vitæ de ſtatione vocat.
Ipſe per Europæ famâ celeberrimus vrbes,
Mortuus æternum nunc quoque nomen habet.

NICOLAI REVSNERI.

Dum ius ritè doces, ius dicis & omnibus æquè:
Conſultus iuris, ſed mage iuſtitiæ:
Iuſtitiæ meritò dicaris Iane ſacerdos:
Par Celſo, aut magno, hoc nomine, Sulpitio.

IOANNES SEBASTIANVS PFAVSERVS
D. Maximil. II. Aug. Ecclesiastes.



Præco, Cæsar, eram tuus, Aemyliane: Lauingæ
Præsul at hinc, pariter sum maneoq́ tuus.

M. D. LXIX.

IOANNES SEBASTIANVS
Pfauſerus Bodamicus, natus
Anno M.D.XX.

Theologus egregius, fortis, conſtans, diligens:

Præſenti magnitudine animi & conſilij:

Magnâ prætereâ & eloquentia, & dignitate præditus:

Perpetuus Orthodoxæ fidei Euangelicæ aſſertor.

Diuo Maxæmiliano II. Aug. à ſacris concionibus, & conſilijs:

Præſul demum, & Antiſtes Eccleſiæ Lauinganæ in Palatinâ ditione fideliſſ.

Planè vir bonus, & omnibus rebus ornatus:

Obijt Lauingæ Apoplecticus anno Sal. M.D.LXIX. Aet. XLIX.
VI. Iunij.

IN IOANNEM SEBASTIANVM Pfauſerum Theol. Cæſar. & Antiſt. Lauinganum.


N. REVSNERI.

Ioannes cubat hîc Sebaſtianus
Pfauſerus, placida ſepultus vrnâ:
Quo vix ſanctior hic, Deiq; vixit
In terris reuerentior: piarum
Plenus pectore cogitationum:
Præco, Chriſte, tuus: tui profeſſor
Inuictus meriti, ſacriq; verbi:
Pro quo mille tulit volens labores,
Caſus mille: ſimul minas potentûm
Forti pectore ſpreuit, ac pericla:
Pro Chtiſti decore, & fide paratus
Pulcram, ſi ſit opus, necem paciſci.
Inculpata fuit, grauisq; vita,
Virtus ardua, ſplendor eruditus:
Mores ingenui, fides probata,
Pectus mite, cor altum, & os diſertum:
Magno maximus hunc fauore Cæſar
Complexus, ſibi Præſidem ſacrorum
Legit, conſiliariumq; fidum:
Nunc Eccleſia Præſulem Lauinga

Triſti funere mœret interemptum.
Mœret publica res pium parentem:
Mœrent eximium ſcholæ patronum:
Mœrent, quotquot in orbe ſunt piorum.
Et nunc it per iter ſerenus altum
Illuc, vnde negant redire quenquam:
Ac curis hominum malisq; liber,
Stellis pulcrior, aureoq; Phœbo,
Fulget ante Deum: novóque in orbe
Sertum iuſtitiæ ferens perennis,
Pro vitæ ſpolijs laborioſæ,
Vitæ gaudia poßidet beatæ.

P. Candidi.

Cæſaris auguſtas docuit Pfauſerus ad aures
Præco celebrandi dogmata ſacra Dei.
Quantò maior erat, quem tu Pfauſere docebas:
Sacra, alijs tantò tu quoque maior eras.



CAELIVS SECVNDVS CVRIO Philoſophus.



Cœlo mens affixa priùs mea, nunc quoque cœlo
Viuit, quàm ſcitè Cœlius ecce vocor!

M. D. LXVIII.

CAELIVS SECVNDVS CVRIO CYRIA
ci Taurinorum oppido natus anno M.D.III:

Monticalerij educatus primâ pueritiâ: Adole-
ſcens Taurini ingenuis imbutus artibus:
Quum ob ſinceram fidei Chriſtianæ doctrinam,
quam ab ineunte ætate, ſpretâ ſuperſtitione Pon-
tificiâ, amplexus fuerat, varias ab hoſtibus per-
ſecutiones, carceres, vincula paſſus eſſet:
Semper tamen poſt tot Eporediæ, Taurini, Lucæ
intentatas mortes atque flammas, præſen-
tiſsimâ numinis ope mirabiliter
ereptus:
Præcipuis Italiæ in vrbibus, ac præſertim Me-
diolani & Papiæ, famâ eruditionis & reli-
gionis ſuæ paſsim ſparsâ:
Quum ob Pontificis Romani inſidias ampliùs
in Italiâ ſe tutum eſſe non poſſe videret:
Lauſannæ primò ampliùs quadriennio: ac dein
Baſileæ, à quâ & Magiſterij inſignibus ornatus,
& ciuitatis iure donatus fuit, Philoſophiæ
& Eloquentiæ ſtudia profeſſus, an-
nis propemodum XXIII.
Præclarâ ſui memoriâ ad immortalitatem tùm
docendo, tùm ſcribendo poſt ſe relictâ:
Magnâ cum laude veræ pietatis, & humanita-
tis inſignisque conſtantiæ:
Exceſsit è vivis Aet. S. Anno LXVII. Sal. M.D.
LXIX. ad VIII. KL. DCB.

IN CAELIVM SECVNDVM Curionem.


PAVLI CHERLERI.

Arte potens, pietate grauis, sermone politus
Cælius, hîc molles in leni funere somnos,
Iuxta cara sibi quondam sua pignora, carpit:
Cumq; his exurget, priscis reuidendus amicis,
Luce sub extremà: cùm tu, fortissime IESV,
Viua Dei soboles, sonitu præeunte tubarum,
Aduenients iudex liquidis in nubibus acer:
Iudicioq; premes orbem, & noua præmia reddes:
Præmia grata probis, reprobis ingrata: sed æqua,
Et fidei vacuis, ipsorum debita factis.

N. REVSNERI.

Si lacrymis decorare pios, & funera fletu
Fas est, quos nobis abstulit atra dies:
Te lacrymis decorare pium est, & funera fletu
Curio, quem Musis abstulit atra dies.
Sed neque tu lacrymis, nec egent tua funera fletu:
Cur? tua laus toto viuit in orbe priùs:
Et tua mens cœlo viuit sanctissima, CAELI:
Felix, cui fas est tam benè posse mori!

PAVLVS EBERVS
Theologus.



Qui fueram Sophiæ, Christi ſum denique doctor:
Si corpus paruum, mens mihi magna ſat eſt.

M. D. LXIX.

PAVLVS EBERVS KITTINGAE Franciæ oppido natus, anno M.D.XI.

Poſt patriæ ſcholam, ad ſpem vberioris doctrinæ Onolsbachium primò commigrans:
Aeger anno vix exacto in patriam reuerſurus, ab equo raptatus conſternato, multis corporis partibus miſerabiliter luxatis, magnam valetudinis ſuæ paſſus iacturam:
Eâ demum confirmatâ, Vitebergam profectus, homo in omni iudicio elegantiſsimus, Philoſophiæ pariter, ac Theologiæ ſtudijs ſummè deditus:
Summos in vtraque ſapientiâ tàm diuinâ quàm humanâ honores cum laude promeritus:
Profeſſor tandem vtriusque in Academià annis circiter XXXVIII. clarus ac eloquens:
Paſtor prætereà Eccleſiæ, & Antiſtes verus vigilansq́ue:
Sacræ hiſtoriæ, & Philologiæ in primis ſtudioſus:
Quam & compluribus ingenij monimentis egregijs plurimum illuſtrauit, & ad poſteros propagauit:
Pie ſanctęque obijt Vitebergæ X. Decembr. anno Sal. M. D. LXIX. Aet. LVIII. D. XXXII.

IN PAVLVM EBERVM Theologum.

IOANNIS SCHOSSERI.

Hos quicunque vides infirmi corporis artus,
Quos tibi Paſtoris parua tabella refert:
Conſilium perpende Dei, qui ſplendida mundo
Viſa, putat regno non ſatis apta ſuo.
Eligit infirmos, per quos Eccleſia Chriſti
Docta, ſalutarem poſsit habere fidem.
Ille etiam præiens iuuat inſtrumenta ſalutis,
Præſidioq́ leuat membra puſilla ſuo.
Et nunc parua licet ſit vox & corpus Eberi:
Ipſe per hunc optat notior eſſe Deus.
Ergo prius celebres docuit qui ſedulus artes:
Aethereo ſacras nectare paſcit oues.
Quid ſpectas teneros artus? in corpore paruo
Sæpè etiam pietas, ingeniumq́ viget.

N. REVSNERI.

In Paguro ſapientia.

Quid modicas paruo rides in corpore vires:
Pectore ſi magnus ſum, Polypheme, ſat eſt.
Scilicet eſt paruis etiam ſua gratia rebus:
Formicæ quoque vis, & ſua bilis ineſt:
Et ſua commendat ſapientia rara pagurum:
Pendet hic è collo, magna Diana, tuo.

Consilij signum prudentis: in æde dicatâ
Quæ gaudes Ephesi per tua sacra coli.
Malo mihi paruo sit mens in corpore magna:
Quàm Cyclopæo robore membra geram,
Mentis inops. malè sic habitat mens ardua Galbæ:
Ingenuas vires, nobile pectus amo.

P. CANDIDI.

Relligio, pietas, doctrina, modestia, candor
Dona, quibus fuerat clarus EBERVS, *erant.*

IOANNIS STIGELII.


Colligis è priscis quòd idonea tempora fastis:
Quòd cœlum & cœlo tempora lapsa notas:
Paule tibi referet meritas Ecclesia grates:
Hac etiam speculum quæ videt arte suum.
Paule tibi referet meritas Respublica grates:
Cui suus hoc studio vindice constat honos.
Et iam fata tuis aspirant mollia chartis:
Sentit & æternos pagina viua dies.
Adijciunt Musæ læta frondentia lauro
Serta, Aganippæi fonte rigata iugi,
It comes adspirans animam, sensumq́; libello,
Aetatum Genius semina longa trahens.

IOAN. LAVTERBACHII.

Perennis est disertus eloquentiâ.

Splendor Thespiadum nitens EBERVS,
Paruus corpore, suauitate magnus

Dicendi, teneram ſcholis iuuentam
Bonas ſeu docuit diſertus artes,
Sacram ſeu docuit diſertus ædem:
Præſentem retulit lepore formam,
Præſentem retulit colore vultum.
De tam corpore plura ſcire paruo
Si quæris, monumenta quæ reliquit
Haud ſegnis, lege, ſis nec ipſe ſegnis.
Quàm magnus fuerit ſcholis docendis,
Quàm magnus fuerit ſacris docendis,
Librorum monumenta prædicabunt.
Paruo ex corpore nemo iudicandus:
Gemma corpore parua, vi ſed ingens:
Terræ ſic quoque dum manebit orbis,
Paruus corpore, ſuauitate magnus
Dicendi celebrabitur per orbem
Splendor Thespiadum nitens EBERVS.



IOANNES BRENTIVS Theologus.



Tot lucubratus, tot Christo sancta locutus,
Ipse senex obeo, non sine laude, diem.
M. D. LXX.

IOANNES BRENTIVS, VVEILAE, SVEVIAE oppido imperiali natus anno M. CCCC. XCIX.

Primæ laureæ, anno ætatis XV: Secundæ, XVIII. inſignibus Heidelbergæ decoratus:
Admodum iuuenis diuinas & humanas profeſſus literas, magno applauſu diſcentium:
Halæ Sueuorum Eccleſiaſtes conſtitutus anno XXII.
Reformandæ eâ in vrbe, totaque Germaniâ, vnà cum M. Luthero & Ph. Melanthone, auctor optimus maximus:
Magno cum diſcrimine vitæ & fortunarum:
Tubingam demum, auſpicijs Huldrichi Ducis VVirteberg. euocatus: Academiæ Commiſſarius, & Antiſtes Eccleſiæ:
Tandem Studgardiæ, Chriſtophori Ducis vocatu, Paſtor ac Præpoſitus Eccleſiæ verè Apoſtolicus:
Quo ipſe munere ad vitæ vſque finem ſummâ religione, fide, prudentiâ, dexteritate, induſtriâ, vigilantiâ functus eſt, maximo commodo Reip. Chriſtianæ vniuerſæ:
Colloquijs Religioni componendæ Imper. adhibitus, Auguſtæ, Haganoæ, VVormatiæ, Ratisbonæ, Tridenti:
Commentarijs in Biblia ſacra vniuerſa Exegeticis, alijs prætereà ſcriptis dogmaticis editis clariſſ.
Obdormiuit in Domino anno Sal. M.D.LXX. Aet. LXXI. M. II. D. XVII. XX. Septembr.

IN IOANNEM BRENTIVM Theologum,

EPIGRAMMATA.

MARTINI CRVSII.

ὃς θείας μικροῦ πάσας εὖ φώτισε βίβλους:
    ἐν ξυνόδοις πάσαις καὶ διαλέξεσ' ἔην:
εὐσεβέων τ' ἀγέλας βουλαῖς ἔργοισι τ' ὀφέλλε:
    τίετο καὶ λαμπροῖς ἡγεμόνεσσι λίην:
πεντήκοντα τ' ἔτη μάνδρας χριστοῖο δίδαξε,
    κηρύττει νεκρὸς νῦν ἔτι ῥῆμα θεοῦ:
τοῖος Ἰωάννης ἦν Βρέντιος ἐκτὸς ἰδέσθαι.
    τὴν δ' ἐντὸς μορφὴν, ὃς ἔκτισεν, οἶδε μόνος.

IDEM LATINE.

Qui cũ laude sacros libros propè scripsit in omnes:
    Omnibus in Synodis, Colloquijsq; fuit:
Et pia consilijs ac factis agmina iuuit:
    Vixit honoratus Principibusq; viris:
Ac quinquaginta docuit diuina per annos:
    Et post fata pijs nunc quoque doctor adest:
Ioannes fuit hoc spectandus Brentius ore:
    At mens est soli nota decora Deo.

Defensio verbi ministrorum, Dei.

In restaurandâ socius pietate Lutheri
Brentius, Ausonij magna ruina Papæ:
Talis erat facie senij confectus ab æuo:
Quàm priùs abriperet mortis auara manus.
Consilij multùm conuentus iuuit honestos,
Quos habuit sanæ relligionis amor.
Colloquijs præsens interfuit omnibus: idem
Immensas auxit Relligionis opes.
Vera quòd Europæ floret doctrina per oras,
Quæ celebrat Christum relligiosa fide:
Non paruas isti grato fert pectore partes:
Plurima pro cuius nomine dura tulit:
E quibus, insidias fugiens, odiumq́ue potentûm
Diuinâ tectus liber abiuit ope.
Vrbis Alexandri Doctor velut obuius hostem
Effugit, Nili quum peragraret aquas.
Organa doctrinæ Christi quòd in orbe furores
Hostiles superant, cura benigna Dei est.

EIVSDEM.

Viuit polo doctor salutis, ac solo.

Brentius egregium cui fecit gratia nomen:
Egregius sanæ relligionis amor:
Sternuus assertor qui maiestatis IESV,
Scripturâ docuit teste salutis iter:

Decurso vitæ spatio, satur abstulit annis
Iustificâ Christi præmia digna fide.
Ingenio superest terris: mortale sepulcrum:
Expers mortis, ouans spiritus astra tenet.
Propugnans Christum verâ pietate, beatus
In cœlis animâ, nomine viuit humo.

LEONHARDI ENGELHARDI.

Bis septem lustris iam Brentius addidit annum:
Corporis & posuit membra caduca sui.
Illius in mundo semper pia scripta manebunt:
Sed pius in cœli spiritus arce sedet.


HENRICI POLANI.

Felix ô Brenti, cui cœli debita sedes
Optatæ donat dulce salutis iter.
Luthero fidus socius, carusq; Philippo,
Et puræ vindex relligionis eras.
Concilium Christi sanctâ nunc mente frequentas:
Cernis & in triplici numine numen idem.

GEORGII OSTERMARII.

Qui docuit Christum, Christoq; fidelis adhæsit
Brentius, ingenio clarus & eloquio,
In Christo moriens, Christi super astra receptus,
Aurea se gaudet templa videre Dei.
Occidit eloquij viuens cum corpore virtus:
Ingenij nobis sunt monumenta super.

IOANNES PFEFFINGERVS
S. Theol. D.



Magna oris grauitas, animi constantia magna,
Doctrinæq́; fides: Lipsia nouit adhuc.

M. D. LXXIII.

IOANNES PFEFFINGERVS BAVA-rus, natus anno M.CCCC: XCIIII:

Spectatæ tum eruditionis, tum probitatis vir, & insignis Theologus:


Totus à primâ ætate promouendæ Christi gloriæ addictus:

Superstitione repudiatâ Pontificiâ, etiam multò ardentius, veritatem agnitam amplexus:

Sacrarum literarum Doctor præclarus:

Lipsiensis Ecclesiæ Pastor & Antistes verus, ac venerandus:

Fatis concessit anno Christiano M. D. LXXIII. Aet. LXXX: III. Non. Ianuar.



IN IOANNEM PFEFFINGERVM Theol. Lipsicum.

EPIGRAMMATA.

Georgii Bersmanni.

Qui Pfeffingeri similes in imagine vultus
Aspicis, hospes & hæc pellege scripta memor.
Bauariæ dedit hunc tellus in luminis oras:
Quem vitâ functum Lipsia condit humo.
Dicere longa mora est, per quot discrimina rerum
Hunc exercueris Dæmonis ira trucis:
Finibus extorrem patriæ, pressumq́ suorum
Inuidiâ, atque odijs turba prosana tuis:
Dum venale Papæ cœlum, missamq́ perosus,
Mauult esse tui portio Christe gregis:
Cui se doctrinæ studio, sanctoq́ labore,
Atque operæ curâ, consilijq́ fide
Addixit, moderansq́ scholas, & tēpla gubernans:
Haud grauis imperij fulmine, pacis amans.
Testis erit iuueni vitæ sine labe peractæ:
Leucoris, & secli fama, Luthere, tui:
Et tu, relligionis apex, diuine Melanthon:
Et tu, qui clarum de Cruce nomen habes:
Postq́ hos consilij consors, sociusq́ laborum,
Tu quoque adhuc nostræ spes, Ioachime, scholæ.
Orba sui luget Pastoris Lipsia fatum:
Amissumq́ gemit Misnidos ora patrem.

Salue ſancte ſenex, decus ô venerabile morum:
Salue cœleſtûm conſociate choris.

M. I. L.

Quàm benè Pfeffingere tuos ſub imagine vultus
Artifici hæc ſpirat picta tabella manu!
Cui Deus excelſis Philyræ ſub mœnibus vrbis
Paſcendum verbo tradidit ipſe gregem.
Namque Dei paſtor vix dignior vllus ouili:
Dignius aut curâ talis ouile ducis.
Cuius vt eſt vultus comi grauitate ſeuerus:
Et purâ cultus ſimplicitate nitet:
Sic quoque vita grauis, ſic omnis neſcia fuci:
O priſco verè tempore digna patrum!
Quam licet haud vno proſcindat crimine liuor:
At tamen ipſa Deo ſalua probante manet.
Eſt aliquid dignante Deo de millibus vnum
Grande miniſterij munus obire ſacrum.

P. Candidi.

Lipſia, vera Dei te Pfeffingere docentem,
Audijt intentis dogmata pectoribus.
Magna quidem eſt pietas, patriæ ſeruire docendo:
Maior at eſt ipſi grata docere Deo.


N. Revsneri.

Præco Dei magnus, magnus virtute fideq́;,
Magnus eras verâ relligione Dei:


Pfeffingere senex, vitâ grauis auctor & annis.
Quid tum? post æui lustra bis octo peris.
Mors tua sic Iani funestat mœsta Calendas:
Læta tibi, nobis quæ nimis ægra venit.
Lipsia quem multis annis mirata docentem
Nunc gemit, & sacri concio tota gregis.
Salue, sancte senex, venerande nepotibus ipsis:
Fama tui nescit nominis ampla mori.

PETRI LOSSII.

Eximium cathedræ decus, & pia fama suorum
Ille ego sum populi Lipsia clara tui.
Qui verbis potui mollire adamantina corda:
Soluere qui curis tristitiaq́ graues.
Exemplum fueram morum & pietatis honestum:
Id quoque nunc cultâ posteritate probo.
Inuide dic de me nunc quidlibet: ipse ego iunctus
Christo, te longè sum meliore loco.



GEORGIVS MAIOR
Theologus.



Sanctum opus absq; fide, sine sancto opere haud placet vnquàm
Sancta fides: fidei summa sit ista meæ.

M. D. LXXIIII.

GEORGIVS MAIOR NORIBERGAE, vrbe imperiali, natus anno M.D.II:

Summè omnium doctrinarum ſtudioſus à primâ adoleſcentiâ:

Magiſter optimarum artium primò, ac dein ſacroſ. Theologiæ Doctor Vitebergæ auctoritate publicà renunciatus:

Quam multis annis, non ſolùm in Academiâ, verùm etiam Eccleſiâ publicè priuatimque docuit, ſingulari laude induſtriæ, prudentiæ, eloquentiæ:

Commentarijs luculentis in præcipuos Euangelicos & Apoſtolicos libros, alijsque lucubrationibus eruditis, Reipub. literariæ communicatis celebris:

Obijt ſenex anno Sal. M. D. LXXIIII. Aet. LXXII. XXVIII. Nouembr.

Eteoſtichon Ioſephi à Pinu.

Felici vt genuit Maior te vrbs Norica luce,
Pes tuus Orion veſpere lauus obit.

IN GEORGIVM MAIOREM S. Theol. D.

IOAN. MAIORIS IOACHIMI.

Qui donis animi mensuram nominis implet,
Hæc tibi Maiorem parua tabella refert.
Cui linguam Charites, cui Pleiade natus acumen,
Facundosq́; dedit Suada canora sonos.
Sed non Mercurius, si vellet, pingere posset:
Ingenium scriptis pinxit ut ipse suis.
Multa tulit, fecitq́; piè templisq́;, scholisq́;:
Illustrans studijs dogmata sacra suis.
Nec tamen effugit delirî iurgia Flacci:
Qui furit in fatum Teutonis ora tuum.
Gratus odor cerebro est, quē mollis Amaracus êdit:
Sed necat immundas illius aura sues.
At tu Maior eris, rumpantur ut ilia Flacco:
Cum fidei fructu perge docere fidem.

IOAN. LAVTERBACHII.

Liuor nocere cui nequit, laus optima.


Maior ab æterno Patre multis obrute donis:
Celsa quibus nomen tollis in astra tuum.
Magnus es ingenio: maior virtutibus: imò
Maximus in verâ cognitione Dei.
Fidus, ad ingenuas pueris industrius artes,
Monstrasti lætâ fronte Magister iter.

Egregium terris idem virtute fuisti
Exemplum, quo sit vita regenda modo.
Quod summū est, Doctor scriptis & voce, salubris
Plantasti dives relligionis opes.
Hinc monumenta tui relegens diuina Laboris,
Nemo non, saluus qui cupit esse, probat:
Nocturnâ versatq; manu, versatq; diurnâ:
Proq; tuo grates munere gratus agit:
Dum monumenta tui viuent diuina laboris:
Perpetuò nomen viuet in orbe tuum.
Quod Liuor memori nunquam miser eximet æuo:
Perpetuo florens tempore nomen erit.

CASP. CROPACII.

Vt te care senex, memorande nepotibus olim,
Hæc ætas meritò prædicat atque colit:
Maxime qui cœli reseras penetralia Maior:
Ad populum quando verba sacrata facis.
Viuus ab ore fluit tibi sermo nectaris instar:
Quemq; doces Christum, corde animoq; geris.
Maiorem afficient seri quoque laude minores:
Et tua non poterit viuida fama mori.

IOANNES GVINTERIVS ANdernacus Medicus.



Argentina tuus, tuus antè Lutetia doctor
Sum Medicus: famâ notus in orbe satis.

M. D. LXXIIII.

IOANNES GVINTERIVS ANDER-
naci Vbiorum oppido celebri natus
M. CCCC. LXXXVII.

Primis annis Dauentriæ, ac Marpurgi in literis
verſatus, cum ingenio, nec ſine induſtriâ:
Goslariæ dehinc ſcholæ Moderator: ac dein Lo-
vanij Græcæ linguæ Profeſſor:
Medicinæ pòſt deditus ſtudio Lutetiæ Pariſio-
rum: familiaris ſummus Guil. Budæi, &
Laſcaris Græci:
Medicis Græcis, ac præſertim Galeno, in La-
tinum conuerſis ſermonem:
Franciſci I. Regis Galliæ, & Ioan. Bellaij Card.
liberalitate ſummâ Medicinæ Doctor, &
Medicus Regius ſalutatus:
Anatomes corporis hum. auctor atque
inſtaurator:
A Rege Daniæ perbenignè expetitus:
A Ferdinando Cæſ. Auguſto ſingularis meriti
ergò nobilitatus:
Pòſt tumultu Gallico ob religionem moto,
Mediomatricum in vrbe primùm, deinceps
Argentinæ exercens Medicinam:
Ariſtotelis & Demoſthenis in eadem Acade-
miâ interpres:
Optimè de Repub. literariâ meritus:
Obijt feliciter Argentinæ anno Chriſti
M. D. LXXIIII. 4. Octobr.


IN IOANNEM GVINTHERIVM Andernacum Medicum.

MICHAELIS TOXITAE.

Hoc Andernacus vultu præclarus & ore,
Ceu docet effigies, conspiciendus erat.
Corporis expreßit pictoris dextera formam:
Ingenij vires scripta polita probant.
Doctrinâ paucis præstante secundus: at inter
Multos virtutis lumine primus erat.
Fidus Apollineæ fuit artis alumnus, & annos
In seros medicâ corpora duxit ope.

HVBERTI DAMII ANDERNACI.

Γουνθερίου ἴφθη οὕτω περὶ σώματος εἰκὼν,
ἰητροῦ γεραροῦ, δείκνυσιν ὡς γραφική.
τὴν δ' ἰσχὺν φύσεως μετὰ τῆς, ἧς χρῆτο, μαθάνς,
σωσικρατοῦς τέχνης ἔργα διδοῦσι σάφα.
ἐν μούσαις τε λόγοις τ' ὀλίγων ἦν δεύτερος ἄλλων,
τῆς δ' ἀρετῆς πολλῶν ἀγλαΐῃ πρότερος.
τοῦ φοίβου πιστὸς θεραπὼν, ὑγίης τε βροτοῖσι
μακροβίου, τέχνῃ πρόξενος εὐπαλάμῳ.



In Tumulum eiusdem.

EIVSDEM.

Vt natura parens dederat mortalibus olim
Hippocratem, ipsa suum quò retineret opus:
Sic quoque Guintherium tandem Deus artis alumnum
Edidit, & medicam reddere iußit opem.
Fecit & occubuit: tua quo Germania fama
Nunc medico celebris gloria parta viget.
Fama per ignotas gentes volat: ossa recepit
Terra: sed æthereàm mens colit vna domum.


MICH. TOXITAE.

Hîc situs est Andernacus propè coniugis ossa:
Expectans regni gaudia læta Dei.
Certabant virtus, pietas, doctrina, senectus:
Et voluit primo qualibet esse loco.
Sed vicit pietas, animamq́; per æthera Christo
Adduxit, cuius numen adorat ouans.
Ingenuas coluit felici sidere Musas:
Pœoniæq́; tulit pluribus artis opem.
In terris famam, nomenq́; reliquit honestum:
Spiritus it cœlo: membra recepit humus.
Excesit septem decies ac amplius annos:
Mens tamen in sano corpore sana fuit.
Sed quid opus multis? laus vni hæc sufficit vna:
Ingenio magnos vicit, & arte viros.




GEORGII CALAMINI.

Octo Guintherius iam quando decennia, messem
Et clausit ævo septimam:
Iam jam care Pater (dictis Panaceia modestis
Compellat Aesculapium)
Sat vitæ famæque dedit, nostroq; labori
Guintherius arte nobilis.
Scis, quòd Lovanium, sit & Argentina docentem
Mirata post Lutetiam:
Hîc vbi Vesalium medicus, Graiaq; magister
Linguâ polivit Sturmium,
Scis, quòd lustra novem medico iam floreat vsu:
Antiqua nostræ cum novis
Artis & eruerit nostro mysteria ductu:
Perennis ac vivet libris.
Sit requies æterna Seni, sit vera voluptas,
Et nata cœlo gaudia.
Sic ait: hinc animâ Guintherius intrat Olympum:
Mortale terra suscipit.



MATHIAS FLACIVS ILLYRICVS
Theologus.




Scire meum vis dogma? Homo totus culpa, scelusq́;:
Quid blateras? utrum sic Manichæus ero?


M. D. LXXV.

MATHIAS FLACIVS ILLYRICVS
Albonæ natus anno M.D.XX:

Cognoſcendæ Evangelicæ doctrinæ magno
ardens deſiderio:
Baſileæ primò, dein Tubingæ, pòſt Vitebergæ in
ſtudijs pietatis verſatus:
Linguæ ſanctæ in Academia Profeſſor:
Dehinc bello Germanico Madeburgum
profectus:
Quò loci cùm alia ſcripta dogmatica innumera,
tùm opus illud Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ paſ-
ſim notum cum ſuis collegis in
publicum protulit:
Ienæ tandem Theologiam profeſſus:
Sed ob motam cum Vict. Strigelio de Libero
arbitrio controverſiam implaca-
bilem dimiſſus poſt quin-
quennium:
Denique Ratisbonæ, Antuerpię, Francofurti,
Argentorati exulans aliquot annis:
Obſtinatus dogmatis ſui de peccati ſubſtan-
tia ſemel profeſsi defenſor:
Mortem obijt Francoforti ad Mœnum Aet. anno
LV. V. Idus Martij. M.D.LXXV.



GVILIELMVS XYLANDER Philologus.



Quàm benè Plutarchi Græcè sonat antè: Latinè
Per me nunc loquitur tam benè Musa mei.

M. D. LXXV.

GVILIELMVS XYLANDER
Augustæ Vindelicorum natus,
anno M. D. XXX.

Magna vtriusque linguę cognitione egregiè instructus, & variâ ac multiplice eruditione ornatus:

Magister optimarum artium Basileæ designatus:

Literarum Græcarum professor Heidelbergæ fidelis pariter ac diligens:

Præclaram nominis famam, & immortalem adeptus gloriam, tum ex alijs scriptis Philologicis & Historicis: tum ex optimis auctoribus, præsertim Gręcis, partim recognitis: partim in Latinum sermonem conuersis.

Quod vel Plutarchi, Dionis, Stephani, Strabonis, Cedreni, aliorum opera abundè contestantur:

Fatis concesſit, & naturę prępmaturâ morte anno Sal. M. D. LXXV. Heidelbergę sepultus. Aet. XL.

IN TVMVLVM GVILIELMI XYLANDRI

PASCHASII BRISMANNI.

O quisquis es, Viator, atra transiens
Hæc busta, Guilelmum sibi quæ creditum
Debent Xylandrum: siste quæso, & aspice,
Siste ô gradum: incorrupta canaq; hîc Fides,
Nec non Honos, hîc Candor, hîc Integritas,
Hîc mentis humanæ bonum summum iacet:
Et saxa magnum parua contegunt virum:
Cui vix parem dedêre Patrum secula,
Et nostra vix parem modò dant secula,
Dabuntq; vix parem nepotum secula.
Quòd non columnas nobilet è marmore
Structas superbo, quòd nec æra viuere
Manu Magistri iussa, nec surgentia
Ad astra Mausolæa cernis, desine
Mirari: honores id genus quærunt sibi,
Qui nil relinquunt, quo ferantur nobiles:
An hîc inanem morte capiet gloriam,
Cui gloriæ sat vera erat superstiti?
Non his eget virtus viri ter maxima
Huius, mori vix digni, inanis gloriæ
Auræq; vulgi nescia. hæc honoribus
Refulget ingenî arte partis arduâ:
Morti hæc, rogisq; hunc eripit silentibus.
Extincto ut ipse posthumus viuat sibi.
Quin & sacro ordini additus iam cœlitûm

Cœlosq́;, terrasq́;, & superstites sibi
Deuinxit omnes vnus ille Creditor.
Cœlo reponens spiritum, corpus putri
Terræ locauit: dia mentis munera,
Abstrusa pandunt quæ artium mysteria,
Nobis dedit, deditq́; seris posteris.
Tantum virum, talem virum saxa hæc tegunt.
Ergo, Viator, vile bustum desine
Mirari: humo pignus repostum nobile
Mirare, sortis & tuæ memor vale.

H. VV.

Clauditur hac vrnâ, quod erat mortale Xylandri:
Pars reliqua est merito, Christe, beata tuo:
Qui illud & hanc olim rediens reuocabis in vnum,
Magni & supremi tempore concilij:
Vt quæ coniuncta in miserâ pietate fuerunt,
Aeternùm pariter gaudia participent.
At iusta est nobis luctus data causa, decore
Et tanti orbatis vtilitate viri:
Cui labor intempestiuus nimiusq́; videtur
Præproperum fati constituisse diem:
Cui nostra inueniet trunca hoc Academia membrô
Non facilè ingenio, non facilè arte parem.
Summe Pater, da doctores, cætusq́; docendos:
Et quamuis raras quæso tuere scholas.
Ethnica ne rursum nostris dominetur in oris:
Quæ fuit ante decem secula, barbaries.

HENRICVS BVLLINGERVS
Theologus.



Sic vixi, sic viuo meis nunc denique libris:
Vt nunquam videar mortuus esse bonis.

M. D. LXXV.

HENRICVS BVLLINGERVS Bremogarti, Heluetiorum oppido, natus anno M.D.IIII.

Embricæ primò, dein Coloniæ Agrippinæ literis eruditus humanioribus: & in his Magiſterij titulo inſignitus:

Capellæ dehinc ludo præfectus literario per integrum ſexennium:

Sacris pòſt pręfectus concionibus in patriâ:

Tiguri tandem Paſtor & Antiſtes Eccleſiæ in Zuinglij locum ſuffectus:

Quam annis XLIII. ſingulari fide & induſtriâ adminiſtrauit:

Lucubrationibus propemodùm infinitis de Religione partim Didacticis & Exegeticis, partim Polemicis, & Dogmaticis, paſsim in toto orbe Chriſtiano nobilitatus:

Obijt ſenex Tiguri XVII. Septembr. anno Sal. Chriſt. M.D. LXXIIII. Aet. LXXI.

IN HENRICVM BVLLINGErum Theol.

THEODORI BEZAE.

Doctrina si interire, si Pietas mori,
Occidere si Candor potest:
Doctrina, Pietas, Candor, hoc tumulo iacent,
HENRICE, tecum condita.
Mori sed absit illa posse dixerim,
Quæ viuere iubent mortuos.
Immò interire forsan illa si queant,
Subireq́; tumuli specum:
Tu tu illa doctis, tu pijs, tu candidis,
Et non mori certißimis,
Tenaci ab ipsâ morte chartis asseras,
Ipso approbante numine.
Fœdus beatum! mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non sinis.
At hunc, amici, cur fleamus mortuum,
Qui viuit alijs, & sibi?

RVDOLPHI GVALTHERI.

Quum Bullingeri Pietas heîc conderet ossa:
Hoc sita sunt (dixit) viscera nostra loco.
Et tota in lacrymas effusa, hæc addidit: Eheu
Nate vale, ah nulli nate secunde, vale.
Quid loquar? est toti virtus tua cognita mundo:
At miseram prohibet dicere plura dolor.

Quòd tamen optatâ ſopitus pace quieſcis:
Quòd tua mens cœli tecta beata colit:
Me recreat mœſtam. at tu, Chriſte ſalutifer, ipſe
Sume pedum, atq; tuas nunc rege Paſtor oues.
Pelle lupos ſtabulis: hircos procul inde ſalaces
Eijce: & vnanimem protege Chriſte gregem.

IOAN. SERRANI.

Moſis miniſtri voce maximam Deus
Hæreditatem adiecerat
Suo Iſraeli: non eam Moſes tamen
Adit, ſed eminùs videt.
Henrice, maius contigit quiddam tibi:
Cum Zuinglio primus propè
Ad initia pugnaſti Dei imperio. aſt vbi
Athleta magnus Zuinglius
Ceſſit quietem conſequutus: tu nouis,
Henrice, viribus potens
Prodis: peremptis hoſtibus victoriam
Refers: trophæa ſplendidæ
Victoriæ victor ſtatuis. Luſtris meant
Perplurimis curſus graues,
Quum victor inſtas, patriæ in dulci ſinu
Felixq́; votorum ſenex
Compos tuorum. Tum Deus dixit tibi:
Quieſce tandem, ô optime

Quiesce tandem serue: iam satis tibi
Satis laborum est: percipe
Parata cœlo præmia. edixit Deus.
Henricus annorum satur
Concessit in cœlum: beatus & modò
Fruitur beatis sedibus.

IOAN. BAPTISTAE ROTANI.

Relligiose senex, sacrorum maxime vatum
Te viuente mihi viuere dulce fuit.
Viuere dulce fuit. nam te viuente, parentis
Vixit sancta Dei filia Relligio.
Vixit, per quod erat mihi tantùm viuere dulce:
O mihi si liceat te moriente mori!

IOANNIS IEZLERI.

Lustra decem tu sancta doces mysteria: lustra
Viuis in his terris quattuor atque decem.
In te num pietas fuerit doctrinaúe maior
Contendunt, quibus est vtraque nota probè.
Vicerit at Pietas, doctrinæ iuncta per orbem
Tè memorans, cœlo viuere sola facit.

IOAN. PONTISELLAE.

Nuper vbi in longam Bulgero lumina noctem
Mors tegeret, dulci membra sopore rigans:
Turbida mœrentem velauit patria vultum:
Inque pias lacrymas tota soluta fuit.
Heu quò vertar? ait: cecidit, fixa hactenus omnis
In quo nostra vno spesque salusque fuit.

Nam busto inferimus, quo non infractiùs alter
Hoc seclo Christi signa corusca tulit.
Ille quidem placidâ compostus pace quiescit:
At patet in curas area lata meas.
Mome quid oggannis? ponas cum fronte pudorem:
Nec careat probris hora locusúe tuis:
Huius nulla tamen laudatum obliuio nomen
Deteret, & quis sit, carta loquetur anus.

IOAN. VINSLERI.

Si lacrymis redimi, Pastor, tua funera possent:
In lacrymas iret Limagus ipse pias.
Numinis at flecti nequeunt pia fata potentis:
Omnibus & lethi porta terenda venit.
Diuersos eadem peperit (mirabile) fructus:
Damna dedit nobis, maxima lucra tibi.
Nec tua lugubri ploramus funera planctu:
Nostra tamen meritò damna dolere decet.
Tu nunc ambrosiam carpis: tu nectare viuis:
Qui nos pauisti nectare & ambrosia.

IOAN. RVDOLPHI BYGELII.

Henricus Bullingerus post fata quiescit:
Contiguus Petri Martyris exuuijs,
Quid mirum? vnanimes quondam, nunc corpore iuncti
Aeternum seruant nomen amicitiæ.
Heluetius quamuis erat alter, & Italus alter:
At vox de Christo consona vtrique fuit.

Excepit geminum tellus Tigurina cadauer:
Fortunati ambo quo docuêre loco.
Papa quid insanis? superis in sedibus vnà
Gaudia cum Christo mens vtriusque capit.
Succedant alij, quibus est Ecclesia curæ:
Qui legis hæc, supplex vsque precare Deum.


RVDOLPHI LEEMANNI.

Bullingerus in hac teneor celeberrimus vrnâ:
De quo si quid amas nosse viator, ades.
Ter quinque à nato numerabis secula Christo
Iungere queîs totidem denique lustra velis:
Mortis habes annum: fuerant sed meta senectæ
Bis septem menses, tot quoque lustra meæ.
Aergouium genuit: Tigurina Ecclesia summum
Pastorem vndenas fovit Olympiadas.
Si quos pertulerim quæras pro gente labores:
Nullum illi, hospes, habent innumeri numerũ.

CHRISTOPHORI THRETII Poloni.

Est vixisse diu quiddam, nomenq́; per orbem
Permultis quæsisse libris: sed gloria nobis,
Quòd semper Christo vixi, & sum mortuus vnà.

IOANNES VVOLPHIVS
Theologus.



Præco Dei, doceo, Tigurinâ clarus in vrbe,
Præco Euangelicus quis ſit, & vnde, bonus.

M. D. LXXII.

IOANNES VVOLPHIVS TIGVRI,
celebri Heluetiorum vrbe, natus:


Philoſophiæ pariter ac Theologiæ
ſtudijs eruditus:

Præclara ingenij & induſtriæ fidelis opera
in publico reliquit:


Onomaſtico primùm Phyſico &
Geographico,

Præcone dehinc Evangelico, vnà cum Commentarijs
ſuarum concionum & auſcultationum in ſacra Biblia innumeris,
relicto:

Mortuus Tiguri in patriâ anno
M.D.LXXII.



IOSIAS SIMLERVS
Theologus.




Me docet Hiſtoricum ſimul, Aſtronomumq́; fuiſſe
Patria, doctorem ſed magis, alma, Dei.

M. D. LXXVI.

IOSIAS SIMLERVS HELVETIVS Capellensis:

Elegantis homo ingenij, ac doctrinæ:
Mathematicus nobilis, Historicus
excellens:
Quòd tùm scripta eius, quibus patriam immortalitati consecrauit, tùm instrumenta ab
eo excogitata Astronomica
testificantur:
Sacrosanctæ Theologiæ in scholâ Tigurinâ
Professor celebris:
Qui quanti non modò in docendo, sed & scribendo, tum acuminis, tum iudicij fuerit, veterum quoque Theologorum lectione confirmati, lucubrationes eius in omni doctrinæ
genere in publicum editæ satis
superq; ostendunt:
Morbis cum duobus sæuiss. calculo nimirum,
& podagrâ conflictatus acerbè, annis
aliquot prioribus:
Morte tandem obijt immaturâ, annum vix
agens XLV: die secundâ Iulij, anno
Domini M.D.LXXVI.



IN IOSIAM SIMLERVM Theologum,

EPIGRAMMATA.


P. CANDIDI.

Simleri quæ repræsentat imagine vultum:
Afficit hæc oculos pulcra tabella tuos.
Si queat excellens animi quoque pingier illa
Gratia: nil oculi pulcrius aspicerent.

THEOD. BEZAE.

Simlere, mi Simlere, quo superstite
Tot mortui reuixerant:
Quos ira nobis numinis, tam pauculis
Ademit annis plurimos:
Simlere, quem tremuit renatus Arrius,
Tremuit renatus Eutyches,
Vastator ille Poloniæ, hic Germaniæ,
Læsi flagella numinis:
Heu subita & immatura te mors auferens
Quàm multa tecum sustulit!
Lamenta amicis quanta, quot iustissimos
Secum dolores attulit!
Quos inter, ecce Beza quondam haud vltimus
His irrigat te lacrymis:
Beza repetito vulnere isto saucius,
Communis ad tumulum patris.

PAVLVS SCHALICHIVS COMES Hunorum, S. Th. D.



Regulus Hunnorum, Scalæ hæres glorior esse
Gentis: Sacrificus Cæsaris, inde Papæ.

PAVLVS SCALICHIVS COMES
Hunnorum, Marchio Veronæ,

E priscâ illâ Scalanæ gentis familiâ principe
originem venditans suam:
Mysticæ Philosophiæ, & totius Encyclopædiæ
scientissimus:
Quod vel ex vno Catholico Epistemone, quo
universus orbis tam sacrarum, quàm profana-
rum disciplinarum, omnisq; omnium secta-
rum & Philosophiæ doctrina catholica
declaratur, satis appâret:
Sed idem tamen in Theologia alter sui
temporis Eceboles:
Olim FERDINANDO Aug. Cæs. à sacri-
ficio Missæ:
Fidei pòst aliquandiu professionem in
Borussia simulans Evangelicæ:
Tandem Canonicus Eccles. Pontif. Monaste-
riensis iniquis electus suffragijs:
Partes Antichristi Romani, quas anteà oppu-
gnaverat, scriptis propugnans suis:
Multis variantis fortunæ exercitus casibus,
vitam in terris clausit suam,
fine incerto.

IOANNES HARTVNGVS
Philologus.



Eustathio quantum, tantum mihi debet Homerus:
Cætera ne memorem, fama loquetur anus.

M. D. LXXIIII.

IOANNES HARTVNGVS MILTEburgi Oſtrofranciæ oppido natus anno M. D. V:

Omni liberali eruditione vir politiſsimus:

Magiſter Philoſophiæ ſalutatus Heidelbergæ:

Literarum Græcarum Profeſſor ibidem per annos XV:

Friburgi dein Briſgoiæ per cæterum vitæ tempus annor. XXXIII:

Singulari cum laude veræ probitatis, fidei, induſtriæ:

Poëſeos ac hiſtoriæ mirificè ſtudio flagrans:

Pleriſque Græcis ac Latinis Poëtis, & inprimis Homero, Apollonio Rhodio, Q. Calabro, non docendo ſolùm, ſed commentando quoque à ſe egregiè expoſitis atque illuſtratis:

Multis præterea ſtudij Philologici inmedium propoſitis monimentis præclaris:

Obijt Friburgi ſenex anno Chriſti M. D. LXXIX: Aet. LXXV. XVI. Iunij.

IN IOANNEM HARTVNGVM Philologum.

IACOBI MICYLLI.

Aesönidæ varios casus, variosq́ labores,
Idem quos terrâ pertulit atque mari:
Auxilioq́ Deæ factam, tectamq́ carinam,
Raptaq́ fœmineis aurea terga dolis:
Omniaquæ quondam Rhodio cantata poëtæ,
Traditaq́ Argolicis tota fuêre modis:
Si quis fortè cupis Latiâ cognoscere linguâ,
Verbaq́ cum verbis ponere versa suis:
Perlege, quæ Graphicâ transscripsit Oporinus arte
Hartungus Latios iussit habere sonos.

ÆGID. PERIANDRI.

Non es Germanus, sed es aut prognatus Athenis,
Aut Romæ; duplici tantus in ore manes.

P. THEVENINI.

Cur lacrymis decorem Hartungi, cur funera fletû
Ornem viri tanti meo?
Viuus adhuc volitat qui docta per ora virorum,
Viuetq́ semper posteris?
Quem sua scripta diu totum vulgata per orbem
Ad astra laudibus vehunt?
Non sit ut Euripides Graijs, aut Ennius ipse
Suis Latinis notior.
Bina quidem bis quem notum Centuria reddit,
Ac quinta nondum prodiens:

Multaq́; præterea venæ monumenta beatæ
Latina, Græca, & vtraque?
Sed quo se inprimis interprete iactat Homerus,
Spreto vel ipso Eustathio:
Quem (quod Alexandro quondam quoq; cessit honori)
Semper ferebat in sinu.
Cur igitur decorem Hartungi nunc funera fletu,
Quo iam nihil celebrius?

IOACH. ROSALECHII.

Hîc erat, hinc abijt, nunc est Hartungus vbique:
Et fruitur meritis hîc & vbiq́; suis.
Nam dedit huic virtus toto clarescere mundo:
Inq́; omni, famâ nominis, esse loco.

EPITAPHIVM.

à viuo Hartungo compositum.

πολλὰ παθὼν, καὶ πολλὰ μαθὼν ἐν παιδοδιδάσκειν
ἔνθα δὲ νῦν κεῖμαι σὺν θεῷ ἡσύχιος.
Multa tuli, didici, docui, dum fata sinebant:
Mortuus in summo iam requiesco Deo.

ALIVD.

γηραϊ, οὐ νούσῳ βίον ἔλλιπον ἐνθάδε κεῖμαι
ἄθλιος ἐν καμάτῳ, ὄλβιος ἐν θανάτῳ.
Non obij morbo, sed longæ mole senectæ:
In vitâ misero est morte parata quies.

ERASMVS OSVALDVS SCHREC-cefuchsius Mathematicus.




Astra notans, sanctæq́ docens mysteria linguæ,
Mente adij pariter luminibusque polum.

M. D. LXXIX.

ERASMVS OSVALDVS SCHRECcefuchſius Auſtrius, natus anno M.D.XI:

Præter ſcholam patriam, Ingolſtadij, Lipſiæ, Baſileæ optimis eruditus artibus, & doctrinis:
Memmingæ aliquandiu ludo præfectus literario:
Tubingæ deinde Magiſter Philoſophiæ appellatus:
Mathematicæ diſciplinæ, & Hebrææ linguæ, exemplo Sebaſt. Munſteri doctoris ſui, perſtudioſus:
Quam poſteà vtramque Friburgi Briſgoiæ magnâ cum laude publicè eſt profeſſus:
Commentarijs in Sphæram, & Primum mobile, & Theorias Planetarum luculentis in publicum editis:
Benè de Rep. literariâ meritus:
Obijt Friburgi anno Chriſtiano M.D.LXXIX.



IN ERASMVM OSVALDVM Schreccefuchsium.

IOANNIS HARTVNGI.

πολλὰ μὲν εἰς τέχνην πρόσθεν Σχρεκεφούσιος ἀνὴρ
    ἀσκῶν ἐλλόγιμος τεύξατο οὐρανίην.
ἀλλὰ δὲ καὶ ταύτης διδαχῆς ἐς ἄκρον παρελάσας
    ἑβραΐαν τε καλῶς ἀμφοτέραν δεδαώς.
ἦρα φέρων αὐτὸς σύγγραμμα τόδ' ἐξεπόνησε
    ἀστροπόλοισι πάρος γ' ἐκδοθὲν οὐδέποτε.
σφαιρικὰ γοῦν ὅστις μετέωρά τε κύκλα νοῆσαι
    ἵεσαι, ἐνδελεχῶς τευχεῖ τῷδε χράου.

CHRISTOPH. MOSELLANI.

Commendat veteres solertia mira poëtas:
Quod varios quondam finxerit esse deos.
Si vel in egregio meritus quis corpore laudem,
Si vel ab ingenio suspiciendus erat:
Illi diuorum veneranda licentia cessit:
Vt meriti ferrent ampla trophæa sui.
Tempore si nostro magni mereantur honores:
Haud cadet in minimos gloria vana viros:
Quos summa referant ingentia præmia laudis,
Osuualdus certè non reticendus erit.
Qui præter reliquos, monumēta probanda, labores
Expreßit placido sidera fluxa stylo.


Ergo nec indignus debes Osualde videri:
Semper quem celebri secula laude canant.

VVERNERI FVRERI.


Si tibi sunt curæ fulgentia sidera cœlo:
Si cupis ætherei lumina nosse poli.
Consule Schrecfuchsi conscriptum ritè libellum:
Qui poterit varijs vtilis esse modis.
Felix es iuuenis, qui nostro tempore viuis:
Quo potes à doctis discere multa viris.
Inter mortales hæc vna scientia summa est:
Quæ docet errantis sidera clara poli.
Astra regunt terram: sub se tegit omnia cœlum:
Sedibus æthereis, quicquid habetur, adest.

MATTHIAE HENNERI.

Magnus es, implexos demonstrans orbibus orbes,
Appositis tantâ dexteritate typis.
Quæ tibi iam restant (ut non scrutabile cœlum est)
Dij faciant simili laude subire velis.



HIERONYMVS VVOLFIVS OETINgensis Philologus.



Tot rerum ſcriptor pariter, doctorque bonarum
VVolfius, æternum nomen ab orbe fero.

M. D. LXXX.

HIERONYMVS VVOLFIVS

Oetingæ, Rhetiæ oppido, natus anno M.D.XVI:

Pereruditus in omni ſcientiæ genere, ac Græcis præcipuè deditus literis:
Acutus Philoſophus: Elegans Poëta: Præſtans Aſtrologus: Philologus denique incomparabilis:
Quem perluſtratis Germaniæ & Galliæ plerisque Academijs,
Auguſta illa verè vrbs auguſta multis annis Græcas & Latinas litteras in ſchola Annæa fideliter docentem fouit, atque ornauit:
Politioris doctrinæ Princeps:
Præter ſcriptores Latinos, & inprimis M. Ciceronem, quem Commentarijs ſuis illuſtrauit,
Iſocratis, Demoſthenis, Zonaræ, Ariani, Simplicij, aliorum Græcorum interpres egregius:
Lithiaſi conflictatus cum intolerabili:
Sibi quidem neque præmaturè neque infeliciter, ſed Reip. literariæ intempeſtivè & luctuosè deceſsit,
Auguſtæ Vindelicorum anno Sal. M.D.LXXX. Aet. LXIIII. VII. Idus Octobr.

IN HIERONYMVM VVOLFIVM,

CAROLI VTENHOVII.

Pagina ſacra ſacrum cui nomen et omen amicum
Indidit, agnomen cur habet ille Lupi?
Quo nec amabilior, nec amicior alter amico,
Quo nec in Oeteis mitior agnus agris.
Quem minùs hoc decuit cognomen habere, ferinũ
Quem minus agniuori nomen habere Lupi?
Quem licet vberibus Lupa nutriuiſſet, alumnum
Quem Charis erudijt, non ſinat eſſe Lupum.
Sic quoque cognomen tellus dedit atra Philippo:
Pectora cui fuerant candidiora niue.
Sic cicere à vili Cicero ipſe legumine nomen
Traxit, & à piſis Piſo, fabâ Fabius.
Seu lupus ergo dedit nomen tibi, ſiue Lycurgus,
Siue Lycaoniæ fabula nota dapis:
Quum placidas placido Vuolfi manſuetior agno
Reſpicias placido pectore Pieridas:
Cui ſedet in vultu violentia nulla proteruo:
Cui micat in lætâ candida fronte fides:
Flumina Cecropij qui Rhetoris omnia duxti
Primus in Auſonium, facta Latina, ſolum.
Quicquid & Iſocrates Graio dedit ore Pelasgis,
Auſus es in Latios cogere primus agros:
Eſſe κατ' ἀντίφρασιν cognomen & iſtud adeptum
(Sicut & Eumenides) te quoque crediderim.

P. MELISSI.

Si quis ἄμουσος erit vocitandus ab artibus illis,
Quas & Apollo probat Thespiadumq; chorus:
Si quis ἄμουσος erit, Graia Latiaque Camoena
Quem disciplinis excoluere suis:
Si quis ἄμουσος erit, Sophia cui dia reperta
Ingenio sollers nosse Minerva dedit:
Certè equidem Vuolfi, qui doctior artibus ipsis
Pallada cum Phœbo Pierideſque doces:
Indice chirographo (quis enim tua verba refellat)
Dicier es merito dignus ἀμουσότατος.

EIVSDEM.

Desiste vitæ stamen ô Vuolfi tua
Desiste quæso texere:
Recisa nunquam fila de fati colu
Seuera rumpet Atropos.
Aeternitati consecrasti, scilicet
Perennis ipse, plurima:
Laudes tuas quæ non sinent intermori,
Europa quàm latè patet.
Quòd si regeniti principes facundiæ
Partu Minervæ iam tuæ
Demosthenes Isocrateſque (cæteros
Omitto) vivent perpetim:
Quanto magis tu (livor absit) qui pater
Es eloquentiæ patrum?

N. REVSNERI.

Qui manes putat esse tuos, Hieronyme VVolfi,
Terrâ sepultos inuidâ,
Fallitur: haud moreris totus: nam fama superstes
Triplex replet mundi latus:
Et tua mens cœli viuit iam sede recepta,
Sancto beata gaudio.
Neúe suo careat exangue cadauer honore:
Musæ nouem, cum Gratijs
Serta tribus victura parant, & carmina pangunt:
Bustique custodes tui
Sic clamant: Situs hîc Hieronymus ille quiescit,
Phœbi Sacerdos, VVolfius.
Sic tu viuis adhuc inuitâ morte superstes,
VVolfi: meo sub pectore,
Dum viuam, longum semper victurus in æuum:
Virtus mori nescit tua.


EIVSDEM.

Si doctrina mori & virtus, Hieronyme VVolfi,
Possent: debuerant te moriente mori.

EIVSDEM.

πολλὰ γράφων, καὶ πολλὰ λέγων Ιερώνυμος ἐσθλὰ
Βόλφιος, εὐρὺ κλέος γῆν καθ' ἅπασαν ἔχει.

IOANNES MARBACHIVS
Theologus.



Isna priùs, dein Argentina pependit ab ore
Clara meo: nouit cætera Teuto potens.

M. D. LXXXI.

IOANNES MARBACHIVS LINdauiæ, vrbe imperiali, natus anno M. D. XXI:

Poſt prima doctrinæ fundamenta fideliter
iacta in patriâ,
Argentinæ primò, ac dein Vitebergæ diuinis
& humanis eruditus literis:
Ienæ Eccleſiaſtes annum non ampliùs vnum:
Sacræ Theologiæ mox Doctor deſignatus, à Mart.
Luthero, Antichriſti domitore:
Iſnæ per biennium Antiſtes. Eccleſiæ
Euangelicæ:
Argentinæ de cæterò Paſtoris ac Præſidis functus munere per annos XXXVI:
Academiæ prætereà Profeſſor, & Ephorus
Perpetuus:
Collegij demum Thomani Decanus
digniſsimus:
Colloquijs de Religione Tridenti &
Vvormaciæ adhibitus:
Reformandæ ſcholæ & Eccleſiæ à Princ. EL.
Palatinis identidem expetitus:
Pietate, integritate, fide, virtute, ſapientia, humanitate excellens:
Moritur Argentinæ anno Sal. M.D.LXXXI.
Aet. LX. Die XVII. Martij.

IN IOANNEM MARBACHIVM Theologum.

Abrahami Schvarzii Alemani.

Sic frontem, sic viua tuli Marbachius ora,
Praeco Dei sanctißimus.
Charus eram diuo Luthero, acriq; Philippo,
Sacra quos docentes audij.
A quibus Argyream perueni missus in vrbem,
Ad iussa docendum cœlica:
Quod summâ, spretis heroo corde periclis,
Fide ac pietate praestiti.
Templa scholaeq; meo florent purgatae labore,
Et institutis optimis.
Qui Christo multos adducunt, sidera tanquàm
Cœli micabunt ignea.

Ioannis Pappi.

Doctorem purae fidei, magniq; Lutheri
Discipulum, insignem relligione virum:
Argentina diu fuit admirata docentem:
Diuino afflatum numine Marbachium.
Nunc dolet extinctũ mœsta, absentemq; requirit:
Sublatumq; videt charius esse bonum.
Impiger ille Dei verbum cum laude fideq;,
Aedibus in sacris tradidit, inq; scholis.
Illius officio simul hic Ecclesia Christi
Creuit, & intactae relligionis amor.

Obſtitit his, Domini qui clàm vinetà reuellunt:
Quiq; Deum violant, & noua ſacra mouent:
Paſtoresq; gregi ſacro multosq; bonosq;
Inſtructos magnâ ſedulitate dedit.
Ergo, qui periit, vivit: quia nomen in orbe
Vivit, & in cœlis gaudia viua capit.

STEPHANI BERCHTOLDI.

Quæ ſubitò tenebræ, noctis quæ nubila ſurgunt?
Fauce fremunt rabidi cur vlulante lupi?
Lux extincta iacet: Paſtor ſeceſsit Olympum:
Ingruit hinc fera nox: vaſtat ouile lupus.
Cur lux interiit? cur Paſtor adiuit Olympum?
Mundus amat rabiem: nubila mundus amat.
Certè (nec fallor) tempeſtas imminet vrbi:
Chriſtiadumq; gregem multa pericla manent.
Nempe Deus ſanctos vbi poſcit ad æthera vates:
Vaſtat ouile lupus: lux quoque ſacra perit.
Fulcra ruunt ſtabuli: paſtor ſeceſsit Olympum:
Ergo Chriſte tui iam miſerere gregis.

N. REVSNERI.

Septima poſt decimam Martis lux triſtis oborta,
Marbachi luctum dat, lacrymasque piis.
Te ſchola, te multis Eccleſia præſide luſtris
Floruit: & didicit dogmata pura Dei.
Te moriente, fides moritur: fraus regnat in orbe:
Impietas & habet pro pietate locum.

IOANNES FICHARDVS
Iurisconsultus.



Ius Musis, Musas exorno iure vicißim:
Consilio prudens, eloquioque potens.
M. D. LXXXI.

IOANNES FICHARDVS PATR. Francofurtanus natus anno M.D.XII:

Optimus & vir, & Iureconſultus:
Multâ doctrinâ, plurimo rerum vſu:
Sub Huldr. Zaſio IC. doctore multis annis Friburgi Briſg. in Iuriſprudentiæ ſtudio verſatus: & vnà cum Ioan. Sichardo ſummum Docturæ honorem conſecutus:
Spiræ Nemetûm in Supremo imperij Germanici tribunali aliquandiu feliciter exercitatus:
Patauij demum, ac Bononiæ, cæterisque Italiæ Academijs confirmatus plurimum:
Reipub. Syndicus in patria per annos XLIIII. clariſſ.
Multorum prætereâ Principum ac procerum Imperij conſiliarius ſapientiſſ.
Plurimis non modò veterum Iurecoſ. Commentarijs, ſed & ingenij monumentis ſui pulcerrimis, & Collectaneis vtiliſſ. in publicum editis nobilitatus:
Decus & ornametnm eorum, quibus cum vixit, & patriæ, imò Germaniæ totius, & ſeculi ſui:
Functus vitâ deceſsit Francofurti ad Mœnum, anno M. D. LXXXI. annum agens LXX.

IN IOANNEM FICHARDVM Iuriſcons.

Ioan. Lavterbachii.

Iuriſperitus æquitatis regula.

Quanta ſit ingenij, Ficharde diſerte, facultas:
Quanta ſit innocuo vita pudore nitens:
Quæ virtus, cœlum donans, pulcerrima rerum:
Hinc Themidis quantum Iuſtitiæq́ decus:
Tot præclara tui referunt monumenta laboris:
Inſignes morum tot ſuper orbe notæ:
Facta tot humano quæ commendantur ab ore,
Arbitrij leges, conſilijque tui:
Vt nullos famâ pereas Ficharde per annos:
Aſtra licet fato raptus ab orbe colas.
Fama tui viuat multos ut nominis annos,
Ingenium, virtus, vita, Themisq́ facit.

Francisci Modii.

Virtutis, Ficharde, tuæ mihi trans mare ad aures
Acciderat dudum fama, impleratq́ videndi
Te deſiderio ingenti, affandiq́, ſacerdos
Iuſtitiæ ô venerande: meis contraria votis
Quum mors florenti dignum gaudere ſenecta
Perpetuum, humanasq́ vices neſcire, piorum
Cœtibus Elyſium in campum, tranſmiſit, ut illic
Iudicibus iunctus bis ius legesq́ duobus
Defunctis dicas: ergo, quem cernere coràm
Tantoperè optabam, iubeam ſaluere neceſſe eſt.

Dum veniat mox illa dies, quæ me quoque vitæ
Curricula emensum ancipitis prærupta, quietis
Addat: quod quoniam citius spe forsitan instat,
Paruo, care Deo, salue mihi tempore: iam te,
Aut certè mox, vt volui, Fichardi videbo.


EIVSDEM.

Audio, & est, ut ais: morietur, quicquid vbique
Est hominum: hac nati conditione sumus.
Non tamen hinc sequitur, Fichardi in morte dolendum
Esse minùs: nostro hæc quòd data lex generi est.
Vulgari valeat medicina in funere talis:
Hæc mors eximium hoc, cur doleamus, habet:
Quòd cum Fichardo terras Astræa reliquit:
Quo viuente iterum illa antè colebat humum.

N. REVSNERI.

Quamuis Iane fores animi maturus, & æui:
O mihi perpetuâ culte Fichardi fide:
Te tamen immatura senem mors abstulit orbi:
Et lacrymas nobis sic gemitusq; dedit.
Nam neque te melior quisquã, nec amantior æqui
Carior aut Musis vir fuit, atque Deo.
Assidet ergò Themis tumulo modò tristis amico:
Assidet huic Charitum Pieridumq; chorus:
Quem viuum pariter coluêre, subinde requirunt:
Ac lugent cassum lumine, cum lacrymis,
Salue, care senex, salue: post tempora vitæ
Te Musæ, Charites, & Themis ipsa sacrant.

NICOLAVS CISNERVS
Iurisconsultus.



Ius docui, dixiq́; ſcit Heidelberga, Palatî
Imperij ſchola ſcit Spira, forumq́, ſacri.

M. D. LXXXIII.

NICOLAVS CISNERVS MOS BACHII,
Palatinatus Elect. oppido, natus anno
M. D. XXIX.

Spectatæ vir industriæ, ac virtutis:
Qui multiplice exquisitaque omnium pænè
literarum præstans scientiâ:
Philosophiæ, & Iurisprudentiæ Doctor
celeberrimus:
Academiæ primò Heidelbergensis Antecessor
Iuris ciuilis solertiss.
Dein supremi Cameræ Imperialis Iudicij Assessor, per annos XVIII. integerrimus:
Proiudex tandem, & Senator Illustr. Septem
vir. curiæ Palatinæ digniss.
Pereruditis in omni doctrinæ genere, ac præsertim in iure libris scriptis immortalem
sui nominis laudem, & gloriam
apud omnes mortales reliquit sempiternam:
Iustitiæ & Aequitatis Antistes ac Præses
Opt. Max.
Musarum, & Historiæ cultor eximius:
Piè sanctequе mortuus decessit Heidelbergæ,
anno Sal. M. D. LXXXIII. Prid. Idus Martij
Aet. anno LIII, M. XI, D. VI.

IN NICOLAVM CISNERVM Iuriscos.

IOAN. POSTHII.

Maximus ingenio Cisnerus, corpore paruus,
Aonidum vixit gloria, Iuris honos.
Spira forum imperij, Themidisq́; sacraria norunt
Augusta, ac celebris littorâ culta Nicri.
Quæ doctam toties vocem stupuêre loquentis,
Iam pia defuncti corporis ossa tegunt.
Magna Palatini quem principis aula requirit,
Et clara antiqui pulpita Gymnasij.

EIVSDEM.

Litterulas totidem planè & Cisnerus easdem,
Quas Sincerus habet: collige, certus eris.
Et benè: cui sincera fides, mens, vitaque tota est,
Sinceri nomen conuenienter habet.

P. MELISSI.

Nominis hæc elementa tui Cisnere, disertim
Transposuit Natura sagax, studio ne vel arte
Fecerit occultans, artem studiumque Mineruæ
Expertura meæ? sincerus es atque fidelis,
Theseâque fide non te sincerior alter:
Theseas immo inter tu sincerissimus omnes:
An non te Musæ inscribant Amarantide cerâ?

Nil iuris eſt in arbitros iuris, neci.

Ciſta quod eſt auro, nitidis quod ſcrinia gemmis,
Dolia quod vino, laxa quod arca libris:
Hoc Ciſnere ſacris es noſtro legibus æuo:
Omnia ſollerti pectore iura tenes.
Ingenio Ciſnere tuo, ceu diuite cornu,
Eloquij puro flumine iura fluunt.
Dum Ciſnere ſacri durabit gloria iuris,
Durabit florens nomen in orbe tuum.
Non moritur iuris, non ſeruantiſsimus æqui:
Mors nihil in iuris lumina iuris habet.
Aeternum iuris diffundunt lumina lumen:
Splendidius Lunâ quod iacit orbe iubar.

EIVSDEM.

In tumulum Ciſneri.

Perire dignum laude Muſa non ſinit.

Muſarum, hiſtoriæ, iuris, pietatis aſylum,
Ciſnerus famâ notus in orbe ſuâ:
Poſt exantlatos Muſarum mille labores
Iuris, & hiſtoriæ quos cumulauit amor:
Muſis, hiſtoriæ, iuri valedixit, & orbi:
Aſtraque confeſſâ cum pietate ſubit.
Quos immaturo correptus funere luctus
Mouerit, & lacrymas, Muſa referre nequit?
Hoc deſiderium teſtatur Principis ingens,
Clara Palatinæ quem fouet aula domus.

Testantur Musæ, ius, historiæque: Patroni
Mæstæ quæ digno nomen honore colent.
Dum Musæ terris, ius, historiæque manebunt,
Cisneri multa laude manebit honos.
Haud moritur, famá terrarum viuit in orbe,
Quem ius, historiæ, Musæque laude vehunt.


PASCHASII BRISMANNI.

Cisnerus iacet hic, sat dictum hoc: cætera nôrunt
Munda, Oenus, Rhenus, Vistula, Tybris, Arar.

NICO. REVSNERI.

Quem flet Diua Themis, quem Peithô, quemque Thaleia
Et Clio, Charitum quem flet & ipse chorus:
Quis fuerit, quæris fortaßis, amice viator?
Ingenio magnus, magnus & arte fuit:
Cisnerus, cui dat victoria nomen & omen:
Ingenio multos vicit, & arte viros.
Magnus erat Iuris consultus, magnus & idem
Orator, vates magnus, & historicus.
Hinc flet Diua Themis, flet Peithô, fletque Thaleia,
Flet Clio, Charitum flet simul ipse chorus.
Flet schola, Cæsareum pariter flet triste tribunal:
Atque Palatini Curia celsa ducis.
Mortuus at gaudet se cœli sede receptum,
Cum superis tandem viuere, cumque Deo.
Quisquis es, ut cœlo viuas, terrena relinque:
Et casus benè sic præmeditare tuos.

IOANNES SAMBVCVS
Med. & Historicus.




Cæsaris Historicus, Medicus bonus, atque Poëta,
Viuo meis, veterum viuus & ipse libris.

M. D. LXXXIIII.

IOANNES SAMBVCVS TIRNAVIAE,
Pannoniæ oppido, natus anno
M. D. XXXI.

Qui plerisque in Academijs Italiæ, Galliæ,
Germaniæ cum laude versatus:
Præter cæteros vnus cum literis humanitatem,
Græca cum Latinis, antiquæ Philosophiæ scientiam, quod è scriptis eius facilè apparet,
cum elegantiâ doctrinæ
coniunxit:
Medicus elegans:
Poëta scitus:
Antiquarius sollers:
Diuo Maxæmyliano & Rudolpho II. Aug. Cæs.
à Consilijs & historijs:
Maximam gloriam cùm proprijs scriptis elucubrandis, tùm auctoribus veteribus recolligendis, & quasi à mortuis excitandis
adeptus in orbe Christiano
vniuerso:
Obijt Viennæ Austriæ Idib. Iunij: anno Sal.
M. D. LXXXIIII. Aet. LIII.



IN IOANNEM SAMBVCVM Cæſ. Hiſtoricum.

IOAN. CRATONIS.

Os oculos pictor Sambuci reddidit, aptum
Ingenij munus fingere ſolus amat.

EIVSDEM.

Me pictura tenet, retinet grauitate poëma:
Libera Sambuci ſic tenet ora liber.

IOAN. POSTHII.

Præſtantes medicos, præſtantes carmine vates,
Maxmilianus habet Cæſar & hiſtoricos:
Hæc tria ſed ſolus qui præſtet munia, nullum,
Sambuco excepto, Cæſaris aula videt.

GEORGII FABRICII.


Anguſto quamvis emblemata tempore ſcripta:
Sambuce, ingenij dant documenta tui.

IN TVMVLVM

EIVSDEM.

VICTORIS ALTHANI LIB. Baronis Auſtrij.

Quæ modò Cæſareo viguit Sambucus in horto,
Depoſuit lætas, languida facta, comas.
Flete pij flores, veterem tu Hyacinthe querelam,
Inſcriptam folijs, lugubris ede, tuis.
Flete pij niveâ quicunque ſub arbore cygni
Duxiſtis, dum ſors riſit amœna, modos.
Namque nec Alcinoi ſiluæ, nec Atlantia tempe,
Quæ famâ Heſperidum eſt culta fuiſſe manu:



Sambuco flores similes, floresq; tulerunt:
Sambuco, Hunnorum quæ fuit orta solo.
Illa sed vrenti nimis heu nimis obvia vento
Concidit: at terris concidit vsta modò:
Iamq; Paradisi quà felicißima vitæ
Frondibus æternis arbor opacat humum:
Arte creatoris liquido viret æthere: deq;
Iustitiæ puro flumina fonte bibit.
Illinc non Austri spirant mala flabra, nec vlli
Officiunt æstus, vlla nec vrit hyems.
Salue arbos dilecta Deo, dilecta beatis
Mentibus, & Regi vive beata Deo.

THEODORI BEZAE.

Dum ciet obscuro Graias Latiasq; Camenas
Oblivionis è specu
Sambusios, patriæ lumen, natusq; beando
Nostro beatus seculo:
Corporis exuvijs spoliatum sustulit, illum
Mortalibus mors invidens:
Spe delusa tamen. nam quî perijsse putemus,
Tot qui excitauit mortuos?

IOAN. POSTHII.

Sambuci exuviæ tumulo conduntur in isto:
Cui dederat clarum Pannonis ora genus.
Sed genus ingenio & studijs superavit honestis,
Historicus, vates nobilis, & Medicus.
Dotibus hisq; fuit magnæ acceptißimus aulæ,
Romani dominus quam regit Imperij.

Vnde tulit dignos virtutum præmia honores,
Et famam toto sparsit in orbe suam,
Iamq; fatigatus curis, ac debilis ævo,
Et longi impatiens pænè laboris erat:
Ergo dissolvi cupientem, ac multa precantem
Audijt excelsâ mitis ab arce Deus.
Et subitò è terris raptum super æthera vexit:
Læta ubi perpetuæ gaudia lucis habet.

PASCHASII BRISMANNI.

Dum Sambuce cadis, cœli terræq; marisq;
Numina decessum congemuêre tuum.
Si perijsse queant, cœli terræq; marisq;
Nomina te extincto disperijsse putem,
Iam cœlum, terram, mare, gesta recondita mundi
Ceperat ingenij vis operosa tui:
Verùm orbem hunc quia iam superaras, antè petisti
Orbem alium. potis haud hîc satis esse tibi.

IOAN. LAVTERBACHII.

Doctum perire Musa non sinit virum.

Sambucus linguas coluit qui doctus, & artes:
Cui natale fuit Pannonis ora solum:
Cæsaris historicus, præmissi temporis acta,
Et dignos scripsit cognitione libros.
Aonios inter meruit quoq; nomen olores,
Carmine iucundum qui cecinêre melos.
Testantur lepidis Emblemata cusa figuris,
Doctorum passim quæ terit orbe chorus.

Testantur super hæc diuersa poëmata, nec non
Vitalis veterum, quem videt aura, labor.
Ante diem quamuis, Musis plorantibus, ipsum
E medio tulerit mortis auara manus.
Ipse tamen superat meliori parte superstes,
In cœlis animâ, nomine clarus humo.
Nil in sollertes Musarum iuris alumnos
Mors habet: à Musis doctus obire nequit.


N. REVSNERI.

Fatales Sambuce suas tibi Iunius Idus
Consecrat, heu Clarij fortis alumne chori.
Tu bonus es vates, medicus bonus, historicusq́;
Cæsaris, orator, Philologusq́; bonus:
Tot scriptor, veterũ tot & auctor nempe librorum:
In lucem tua quos Bibliotheca dedit.
Ipse quidem moreris, sed in his nunc deniq; vivis:
Fama libris vivax tot nequit ipsa mori.

GEOR. CALAMINI.

Hac, quo mortis erat, Sambucus dormit in vrnâ:
Quo sed erat vitæ, vivit ad ora Dei.
Hos bonus invideat licet illi nullus honores:
Non tamen occasum non doluisse potest.
Ipsa domi videas monimenta relicta deorum
Marmoreis fletus elicuisse genis.
Sancta Poësis adit, tumulumq́; Mathesis adornat:
Hunc sibi præreptum plangit & Historia,
At Medicina gemit, cita se differre vel vnum
Fata pio vati non potuisse diem.
Vna venit Pietas, Divas solatur & omnes,
Et dormire viri molliter ossa iubet.

SIMON SVLCERVS
Theologus.




Sancta recensentem veræ monumenta salutis,
Pastorem coluit me Basilea suum.

M: D: LXXXV.

SIMON SVLCERVS BERNAE
Heluetiorum vrbe celebri natus,
anno M. D. VIII.

Trium linguarum, & artium diuinarum atque
humanarum egregiè
peritus:
Summos honores ſtudiorum conſecutus in
Philoſophia & Theologiâ:
Poſt functionem Bernenſem,
Academiæ & Eccleſiæ Baſilienſis, cui nutricia
ſua liberali animo rependit [per annos XXXIII.]
verus vigilansque Antiſtes
& Doctor:
Vtraque manu vineam Domini ſui
excoluit:
Scholam Theologicam erexit atque
rexit:
Fidâ docendi aſsiduitate ſuſpiciendus:
Vitæ ſanctimoniâ etiam probis
imitandus:
Vixit annos LXXVII:
Obijt anno Sal. M. D. LXXX: V: Die XXII. Iunij.

c



IN SIMONEM SVLCERVM Theologum.

P. CANDIDI.

Antiſtes Baſilea tuis qui præfuit aris,
Sulceri breuis hæc ora tabella refert.

CAROLI VTENHOVII.

Qui pia ſincerè populum myſteria Chriſti
Ex Euangelicis fontibus hauſta doces:
Numinis & cultor qui ſinceriſsimus idem,
Acer ad obſequium cerneris ire Dei:
Omen ab obſequio nomenq́ Simonis adeptus,
Poſtmodò Sincerus, non mihi Sulcer eris.
Fallor? an & medicas animæ curare per artes
Vlcera Sulcero pulcher Apollo dedit?
An quia Sal terræ vos Chriſtus & ipſe vocauit,
Diceris & puri lucida mica ſalis?
Quem ſale non parco Chriſtus donauit Ieſus:
Quo ſine nil ſapiunt omnia noſtra ſale.


ABRAHAMI SCHVARZII. Alemani.

Sincero Chriſti defendi dogmate laudes:
Et purâ expoſui myſtica verba fide.
Ore Deum & calamo docui, diuosq́ fidelis
Explicui doctâ ſimplicitate libros:

Me Christum verè didicit Basilea docente;
Atque vni totâ fidere mente Deo.

GEORGII CALAMINI.

Salcerus cubat hîc: qui mitis, acerbus & idem
Munus ferebat mysticum.
Nam sal erat terræ: salsis & pectora dictis
Prohibebat à putredine:
Et sale condibat mortalis vulnera carnis,
Ne labe fœterent suâ
At licet à populo vermes divina docendo
Prohibebat, ac putredines:
Ipse tamen letho victus putrescit in urnâ,
Et cinis, & esca vermium.
Sed sale doctrinæ, famaq; superstite vivit:
Ac mente cœlos incolens
De cinere exspectat redivivos corporis artus,
Quod luce vincat sidera.



MARTINVS CHEMNICIVS
Theologus.



Pontificum normâ decreta examino sanctâ:
Sit fidei testis vrbs tua, Bruno, meæ.

M. D. LXVI.

MARTINVS CHEMNICIVS BRVN-
ſuigi, vrbe Saxoniæ liberâ natus anno
M. D. XXII.

Optimis ſemper diſciplinis Vitebergæ dedi-
tus ſub M. Luthero & Ph. Melanthone
doctorib. clariſſ.
Philoſophus & Theologus ſummus:
Antiſtes Eccleſiæ Brunſuicenſis fidelis pariter
ac diligens:
Multis egregiis de Religione ſcriptis libris, ac
inprimis Examine illo Concilii Triden-
tini in publicum propoſito, toto
orbe terrarum cele-
bratus:
Cui neque ſtudio veritatis & bonarum artium,
neque laude officii facilè quisquam eſſet
anteponendus:
Magno cum bonorum omnium luctu,
& dolore:
Sibi quidem non præmaturè, ſed admodum
intempeſtiuè Eccleſiæ,
Euocatus in cœleſtem patriam
Obiit anno Sal. M. D. LXXXVI. Aet. LXIIII.

IN MARTINVM CHEMNICIVM Theologum.

Doctor Euangelij Rex
Psalmo. LXVIII.


IOAN. LAVTERBACHII.

Caligini, lucente verbo, non locus.


Quod Rex imperij cœlo donatus honore,
Officium vigili qui facit ore suum:
Hoc pius est verbi doctor cœlestis, Iesus
Protulit arcano quod patris ipse sinu.
Strenuus ille suos armis ut reprimit hostes:
Per vim subiectos quos violare videt:
Sic contra Sathanæ bellum gerit iste ministros:
Roborat & sanâ relligione suos.
Ille pijs veluti propagat legibus æquum:
Vt cunctis vigeant iuraq́ paxq́ locis:
Sic Euangelij densas ex orbe tenebras,
Quàm procul ostenso lumine Solis agit.
Docte, Tridentinas tenebras quòd luce fugasti,
Chemnici, ob hoc Regis nomine dignus eras,
Perge fugare plagâ Germanâ perge tenebras;
Ne pulsâ victas luce det illa manus:
Lux vbi cœlestis fulget clarissima verbi:
Firmus ibi tenebris haud locus esse potest.

Georgii Calamini.

Magnum terra virum, magni post fata Lutheri,
Si quem felici Teutonis orbe tulit:
Certè Chemnicius fuit is: monumenta librorum,
Hercule vel dignus quod labor ille probat:
Impia dum Latiæ decreta examinat Hydræ:
Foeta Tridentinâ quæ parit vrbe solo.
Enthea siderei tutans & iura Senatus,
Pugnando Christi pro grege victor ovat.
Et benè habet: monstrũ vires quodcunq; resumat,
Pestis Chemnicium vincere nulla potest
Et quis erit semper Martinus in arma paratus?
Alcideńq; dabunt secula quæque suum.



IOANNES CRATO ARCHIATER Cæsareus.



Me Cæsar medicum sibi legit Tertius: alter
Ceu Phœbus, vates sum, medicusq; potens.

M. D. LXXXVI.



IOANNES CRATO A CRAFT-
heim, Vratislaviæ, vrbe Silesiorum
primariâ, natus anno
M. D. XIX:

Præceptore vsus maximè in Germaniâ Ph. Me-
lanthone, in Italiâ Io. Baptista Montano
Medico excellentiss.
Optimus & Philosophus, & Medicus, neque
minùs poëticâ laude & literarum ele-
gantiâ vehementer ex-
cellens:
Cuiuis summorum suæ ætatis vel ingenio, vel
dignitate, vel gratiâ, vel famâ po-
puli par:
Ferdinandi I. Maximil. II. Rodolphi II.
AVGGG. Consiliarius & Archia-
trus, per annos XXVI.
Politioris literaturæ Hierophantes:
Hygiæ ac Panaceæ Mystes: Alter ceu Gale-
nus, & Hippocrates:
Vtroque Medicorum principe scriptis suis
egregiè illustrato clarus:
Propter insignem & elegantem doctrinam, cum
pari humanitate erga bonos & eruditos
coniunctam, carus omnibus,
ac venerandus:
Obijt Vratislauiæ, in patriâ, fine beato & opta-
to: annum agens LXVII: anno Sal.
hum. M. D. LXXX; VI.

IN IOANNEM CRATONEM Cæsar. Medicum.

Ioannis Posthii.

Cæsaris effigiem magni, effigiemq; Cratonis
Qui confert, similes protinus esse videt.
Quòd si animum posset diuinum effingere pictor:
Idem, ut credibile est, planè vtriusque foret.

Eivsdem.

Si, quibus est similis facies, similis quoq; mens est:
Cæsaris haud differt, & tua, docte Crato.

Ioan. Bartholomaei.

Prima tenet medicæ Crato iam subsellia classis:
Et talem meritò Cæsaris aula fovet.

AEgid. Periandri.

Qui flectit citharam, venit en manifestus Apollo:
Si depromit opem, fidus Apollo venit.

Fr. Pl. Raphelenii.

Cratonis Methodus Therapeutica prodijt ausis
Doctrinæ ad normam, docte Galene, tuam.
Cæsareæ meritò Medicus cluet inclytus aulæ:
Et paucos videas dexteritate pares.

IOAN. CRATONIS DE SVA effigie.

Effigies si fortè mea est, vix dicere veram
Ausim: nil agit hæc, est mihi nulla quies.
Sed brevi erit sperata quies, finisq; laborum,
Quando quiescendi tempora fata dabunt.

EIVSDEM.

Cæsaribus placuisse tribus non ultima laus est:
Me Pater hac ornant, Filius, atque Nepos.
Consilijs usum rectis mens conscia gaudet:
Testis & ars medica, testis & invidia.

IN OBITVM EIVSDEM.
IO. POSTHII.

Ex oculis igitur nostris iam te quoque fata,
Crato optime & carissime,
Surripuere? iterum nec te spes ulla videndi,
Nec alloquendi in posterum
Mî dabitur? dabitur certè, hac compage solutum
Quum Rector omnium DEVS
Me quoque sidereas conscendere iusserit arces,
Et templa sancta cœlitûm
Interim in hisce oculis, & in hoc mihi pectore vives
Dum vivus in me spiritus
Hos reget exigui languentes corporis artus,
Animusq; memor erit sui.

NATH. CHYTRAEI.

Hîc fractus senio, durisq; laboribus aulæ,
Quos sub Cæsaribus non sine laude tribus
Pertulit, ille Crato medicorũ hoc tempore princeps
Est situs, ô fidus Bratesilea tuum.
Rara viro virtus, constantia rara, fidesq;
Et pietas rarâ cum gravitate fuit.
Exquisita etiam doctrina, & cognita magnis
Ingenio, eloquio, judicioq; viris.
Quos inter nostro ceu Sol Camerarius ævo,
Emicuitq; iubar, magne Philippe, tuum.
Emicuêre alij, quibus omnibus iste probavit
Doctrinam, & genij scripta fidemq; sui.
Inprimisq; seni nugis valedicere mundi,
Et meritis Christi fidere cura fuit.
Illius & dulci veluti tabescere amore,
Quod Cygnea eius carmina sacra probant.
At nunc votorum compos victorq; suorum
Mente ovat, in tumulo corpus inane animæ,
Exspectat reditũ Christi, atque è marmore clamat
Prorsus in humanis nil stabile esse bonis.
Quocirca æternæ patriæ quærenda cuique
Gaudia, ubi est vicibus non opus, aut lacrymis.

GEORGII CALAMINI.

Quem vix magna sinu Germania cepit ob artes:
Hoc Crato sub tumulo conditur ille brevi.
Hunc Avus, & coluit pòst cũ Genitore Rudolphus:
Vixit Cæsaribus sic medicina tribus.
Annos ipse tamen tres lectis æger adhæsit:
Tela fuit lethi nec prohibere potis.

Nam ſex ut meſſes, bis ſenaq; luſtra peregit:
Vitâ feſſus ijt lætus ad ora Dei.
Diſce mori, nulli parcit Libitina, viator:
Vitaq; longa ſatis, quæ bene clauſa fuit.

EIVSDEM.

Vidit ut ingenio Phœbus florere Cratonem:
Hunc, inquit, medicum tu tibi Cæſar habe.
Dixerat: ergo ſuā vocat hunc Fernandus in aulam
Filius è cunctis hunc amat, atq; Nepos.
Cæſaribus placuiſſe tribus non ultima laus eſt:
Eſſe domi notum laudibus, eſſe foris.
Et meritò: princeps meruit quia nomen, & arte
Magnus Pæoniâ, magnus & Aoniâ.
Magnus & eloquio tria per diſcrimina linguæ:
Iudiciò magnus, conſilijsq; Crato.
Climacter morbum nonus tulit: annus ab illo
Fregit & hic vires, reddidit alma Salus.
Non alijs vixit ſatis, ut ſibi vixerit ipſe
Iam ſatis: & fas eſt hunc ſupereſſe diu.
Nam dignè laudum menſuræ congruit ætas:
Quisquis es, ô mecum dic, benè vive Crato.

MARTINI PRAETORII.

Dum revocat diris animas Crato faucibus Orci,
Summaq; Pæoniâ fata moratur ope:
Iracunda virum Lethæo Parca ſopore
Spargit, & huic celeri pollice fila ſecat.
Sic Crato, ſic Phœbo Nymphaq; Coronide natus
Ambo ſui precium triſte laboris habent.

N. Revsneri.

Quò maior Cæsar, terrarum rector, habetur:
Hôc medicis reliquis tu Crato maior eras:
Cæsaris Archiater magni, non vnius: immò,
Proxima quos mundo secla tulêre, trium.
Tantus eras medicâ, Sophiæ tam clarus in arte:
Tamq; bonus melicâ, quã medicâ arte potens.
Cæsaribus potes ipse mederi: ritè mederi
Sed potes haud, quando mors venit atra, tibi.
Mors equidem terram terræ, cœleste sed infert,
Cœlo: fama tuæ laudis in orbe volat.


Christo Vivo Sacrvm.

Cæsaribus vixi tribus intimus arte medendi:
Me Pater asciuit, Filius, atque Nepos.
Quem mihi iactato das portum Christe quietis
Hunc teneo, iungas dum mea membra tibi.
Ioan. Crato.

Alivd.

Saucius invidiæ morsa, sed vulnere sanus
Christe tuâ iacet hîc in requiete Crato.
Conscia mens recti, Christo confidere docta
Omnia fert, ferat ut, scire Deum, satis est.

ORLANDVS LASSVS
Musicus.



Si mea principibus tot Musica Cæsaribusq́;
Grata placet, cœtûs Rex ero nónne mei?

ORLANDVS LASSVS BERGAE, Hannoniæ vrbe, natus anno M. D. XXX:

Muſicus & Symphoniacus ſui ſeculi
facilè princeps:
Primâ ætate admodum puer, ob miram vocis
ſuavitatem in canendo, aliquoties
plagiô ſublatus:
Sub Ferdinando Gonzaga Prorege Siciliæ, an-
nis fermè ſex partim Mediolani, partim in
Siciliâ, inter ſymphoniacos
educatus:
Neapoli dein per triennium, ac demum Romæ
ampliùs biennium Muſico præfectus ſa-
cello longè celeberrimo:
Poſt peregrinationes Anglicanas & Gallicanas
cum Iulio Cæſare Brancacio ſuſceptas,
Antuerpiæ totidem annis ver-
ſatus:
Tandem Alberti & Guilielmi ducis Boiorum
Muſicæ Magiſter ſupremus per inte-
grum vicennium:
A Maximiliano II. Cæſ. nobilitatus:
A ſummis imperij Principibus ac proceribus
ſummè honoratus:
Cantionibus Harmonicis tàm ſacris quàm
profanis omnium linguarum in
orbe vniverſo celebratiſſ.

IN ORLANDVM LASSVM Muſicum.

P. MELISSI.

Quantus apud Macedûm reges Mileſius ille
Timotheus melicæ claruit arte lyræ:
Tantus apud Bavarûm magnos illuſtria corda
LASSE duces clares dulcibus harmoniỹs.
Inde celebratus tua fama volauit in aulas,
Regibus exhilarans Cæſaribusque animum.
Non tamen hi ſolum placitâ mulcedine gaudent:
Tranſiјt ad cives conſonus iſte canor.
Concentu vario mentes auresque fruuntur,
Quas rapit ad Muſas melle refer ctus amor.
Vis quanta artificis, proceres apud ordinem & imum
Auctor vbi in precio eſt, eſt in honore melos!

EIVSDEM.

LASSE, poëtarum Buchananum tempore noſtro
Qui ſcripſit eſſe principem:
Illius ingeniј divinas novit is artes,
Nervosque viinque carminis.
Aſt ego cenſuræ Iudex nihil ambigo regem
Te muſicorum dicere:
Scilicet harmonico ſeſe modulamine victos,
Cuncti fatentur muſici.

Forsan ut heic aliquis craſſâ pinguique Minervâ
Reclamet auritus Midas,
Teſtibus ille tribus convincitur, Heſperiæque
Et Galliæ & Germaniæ.

EIVSDEM.

Bruta Orpheus, ſaxa Amphíon, delphinas Aríon
Traxit: at Orlandus poſt ſe terramque fretumq;,
Poſt ſe traxit item molem totíus Olympi.
Quanto igitur maior, quantoque potentior vnus
Orlandus tribus his, Amphíone, Aríone, et Orpheo!

IOAN. LAVTERBACHII.

Leuat canore mœſta corda Muſicus.


Sol quod ſplendidus inter eſt planetas,
Stellas Luna quod inter eſt micantes:
Laſſus ſplendidus artifex canendi,
Inter artifices id eſt canendi.
Res ut Sol recreat ſuo calore,
Res ut Luna fouet ſuo vigore:
Mœſtos ſic leuat artifex canore
Laſſus, ſic fouet artifex ſonore.
Suaues qui canit artifex ſonores,
Dulces qui ſonat artifex canores,
Eſt quod Sol vagus inter eſt Planetas,
Stellas Luna quod inter eſt micantes.

Ioan. Poleti.


Armipotens ſola haud doctis Germania gaudet
Orlandi Laſsi cantibus atque melis:
Quin tota Italiæ regio, atque Brabantica tellus
Illius venæ flumina larga probat.
Ingenij admiratur opus quoque Gallia: Solis
(Quid dicam?) famâ tangit vtranque domū.

Nico. Revsneri.

Muſica res ſancta eſt, animi iucunda voluptas:
Artificem colit hæc te quoque, LASSE, ſuum.
Alter ut Amphion, Orpheus vel, & alter Arion,
Saxa, feras, homines arte ciere tuâ
Doctus eras: magnis hinc carus regibus, atque
Principibus ſummis, Cæſaribusq́; manes.
Sola manet ſurdis mors immota auribus: illa
Te perimens mundo gaudia tanta premit.
Sed tamen haud perimit totū: pars maxima cœlo
Dulce pijs animis accinit vſque melos.



LVDOVICVS LAVATERVS TIGV-rinus Theologus.



Patria me Tigurum verbum cœleste docentem,
Dum viuo, merito semper honore colit.

M. D. LXXXVI.

LVDOVICVS LAVATERVS
Tigurinus,

Patriæ Ecclesiæ & Scholæ minister
fidelis:


Quam & voce vivà, & manu doctâ erudivit
multis annis:

Multis cum suis, tum aliorum lucubrationibus, præsertim in Theologia, in publicum prolatis:


Controversiæ Sacramentariæ historiâ
inter alias quoque editâ:

Obijt Tiguri anno Christiano.
M. D. LXXXVI.

d 3



RVDOLPHVS GVALTHERVS
Theologus.



Sacra docens, scribens quoq; sacra volumina: carus
Sum patriæ ciuis, fortis Athleta Dei.

M. D. LXXXVI.


RVDOLPHVS GVALTHERVS, TIGVRI,
Heluetiorum vrbe primariâ, natus
anno M. D. XVIII:

Literarum tum diuinarum, tum humanarum
ſcientiâ ornatus egregiâ:
Poëta æquè bonus, ac orator:
Paſtor & Antiſtes Eccleſiæ Tigurinæ
celebris:
Quam ipſe annis ampliùs XL. concionando
erudijt diligenter, & adminiſtrauit
laudabiliter:
Lucubrationibus in omni genere doctrinæ,
ac præſertim in Theologiâ, ad poſteros
transmiſsis propemodum innu-
meris clarus:
Quod vel Homeliæ eius in libros ferè omnes Pro-
pheticos, & Apoſtolicos, Euangelicosque
abundè teſtatum faciunt:
Morum grauitate, & vitæ ſanctimoniâ
reverendus:
Obijt Tiguri anno Chriſtiano M. D. LXXXVI.
annum agens vitæ LXXIII.

AEGIIDII PERIANDRI.

Coniunxit ſacris Muſas, Germana Latinis:
Lataq; cum Graio nomina ſonte parit.

MATTHAEVS VVESENBECIVS
Iureconsultus.



Prompta fides, vis ingenij mihi prompta, vel oris:
Seu scribo, doceo seu sacra Iura pius.

M. D. LXXXVI:

MATTHAEVS VVESENBECIVS ANT-
verpiæ, celeberr. Europæ emporio, natus,
familià nobili & patriciâ,
anno M. D. XXXI.
Quum præstantissimum ingenium contulisset
ad summam iuris ciuilis, & ad perfectam
rerum diuinarum & humanarum
scientiam
Sub Gabriele Mudæo Iurecos, doctore, Louanij
egregiè & eruditus, & exercitatus
publicè priuatimque:
Summum in vtroque iure gradum, vnà cum
fratre Germano Andrea, studiorum
socio perpetuo, consecutus:
Scriptor iuris valde peritus, & Antecessor Ienæ
primò, dein Vitebergæ, eloquens
pariter ac doctus:
Quo in loco iuris doctrinæ publicè p[illegible]ra fuit an.
XVII. Magna cum iuris civilis intelligentiâ,
maximaque gratiâ:
Quum & consuleretur plurimum, & diceret,
doceretque ius in scholâ & foro, cum
fide & religione summâ:
Ingenium, laborem, fidem suam peræquè prom-
ptam expeditamque, quandiu vixit, præ-
bens omnibus:
Antistes iuris, & Iustitiæ sacerdos maximus:
Commentarijs iuris Methodicis, & Responsis,
alijsq; egregijs operibus, de verâ Iuri-
sprudentiâ præclarè meritus:
Obijt Vitebergæ A. Sal. M. D. LXXXVI. Aet. LV.

IN MATTHAEVM VVESENBEcium Iurecoſ.

HENRICI BOLSCHENII.

Clara Veſenbecij fert ora tabella: ſed artem
Laude feret dignæ poſteritatis honos.
Cui quod auita domus, quod nobile ſtemma, quod ardens
Iuſtitiæ & iuris cura nitorq́ dedit:
Id pietas animi, & vigil experientia legum
Auxit, & id calamo dextra potente refert.
Conſilijs felix, grauis ore, excelſior acri
Iudicio, ſcriptis clarus, & arte potens.
Belga dedit: Saxo fouet: Itala regna ſerentem
Iura colunt: æquat Gallia ſola virum.
Aſſere ſumme Deus tua iuſſa verenda colentem:
Pro meritis viuant ſcriptaq́ virq́ ſuis.

M. VVESENBECIVS DE SE ipſo loquitur.

In Belgis natus, Germanis hoſpes in oris,
Exilij tolerans, quod fert Eccleſia, partem,
Conficio ſpacium peregrinæ flebile vitæ
Dum veram vocor in patriam, quæ ſanguine parta eſt
Chriſte tuo: tu me poſt funera, magne ſacerdos,
Suſcipe, & extremæ ſubduc diſcrimine luctæ.
Mors tua vita mea eſt: tu debita lytra parenti
Soluiſti moriens, ut per te viuere poßim.
Hac ergo fretus ſpe non dubitante recondar
In mortem, dux Chriſte, tuam, quæ ianua vitæ eſt:
Vt tecum moriens, tecum ô mea vita reſurgam.

Non qui multa tenet: sed qui scit idonea vitae
Hic docti doctius, cur mereatur habet. H 2 Z

Quid juvat innumeros scire atque evolvere casus.
Si fugienda facis, et 427 facienda fugis. 1605

IDEM DE SVIS INSIGNI-bus gentilitijs.

Lilia cum armatis crescant argentea malis,
Quæ campo æthereo virgula fulva secat!
Illa VVesenbeciæ fautrix Antuerpia gentis,
Temporibus lætis patria dives ait.
At modò conversis (ut sunt mortalia) fatis,
In queîs nil stabile est, perpetuumq; nihil:
Ipsa sui haud compos, tacitè vix audeat illam
Nunc inter ciues annumerare suos.
Ergo funesta si conuenientia sorti
Pingere vis pictor stemmata, pinge crucem.
Hoc, ait, in signo vinces, Deus: hæc rata sunto
Christiadum sacræ symbola militiæ.

EIVSDEM, EPITAPHIVM.

Matthæus placidâ sopitus pace quiesco,
Iustitiæ & iuris præco VVesenbecius.
Vita mihi studium fuit, impensiq; labores,
Et dolor, & gemitus, assiduæq; preces.
Iova pater, miserere mei, miserere meorum:
Solus in Christi sanguine nostra salus.

N. REVSNERI.

Consilio, Iurisq; potens VVesebecius arte:
Constituit magnâ quam ratione scholis:

Ille sacer legum interpres, iurisq́ sacerdos:
Sulpitius verè, Teutona terra, tuus:
Annis quem tot Iena, tot & Viteberga docentem
Audijt, & coluit Saxonis aula diu:
Occidit heu, subitò simul & Themis occidit: vno
O quanta est iuris facta ruina die!
Hoc meritum est nostrum: Iuris reverentia nulla:
Ius, Astræa, Themis linquit & ipsa solum.

BARTHOL. REVSNERI.

ROMA suum quondam mirata est Papinianum
Et coluit: noster Papinianus erat,
Cuius in hac tabulâ grave lumen & ora severa
Artifici spectas effigiata manu.
Quippe eadem vitæ integritas laudabilis, idem
Extitit ingenij iudicijq́ vigor:
Par animi pietas, candor, constantia, cura
Iustitiæ, vis in pectore, in ore fides.
Cognitio fuerit quæ quantaq́ Iuris & Aequi,
Nobilis ingenij sat monumenta docent:
Doctrinaq́ modum quævis mirabitur ætas,
Et præceptorem perpete laude vehet.
Si taceant omnes, tamen hoc Paratitla loquentur
Iudicij plenum & dexteritatis opus.
Quisquis in hanc igitur faciem defigis ocellos,
Aeternum, dicas, vivere dignus erat.

FINIS.

MAGNIFICO ET NOBILI VIRO D. NICOLAO REVSNERO LEORINO I.C. AC Poëtæ Præstantiss. S. D. P.

CHRISTOPHORVS VVINERVS.

PRO imaginibus literis illustrium primæ centuriæ, præstantissime REVSNERE, omnes tibi Charites, Apollo cum Musis, Minerva & bonis literis gratiam debent. Verè tu hic alter es Deucalion: qui cum androzographia Pyrrha tua iucundissima, STIMMERI pictura superioris ætatis & seculi homines illustres in vitam nobis restituis. Et quemadmodum in Italiæ tabulis peregrinantium supples defectum: Ita hic in nostris nobis Musæis citra peregrinationis molestiam absq; labore copiam præstas gratis spectandi & alloquendi bonos viros, qui præcipua nostræ ætatis & avorum nostrorum memoria lumina fuerunt. Gratam & iucundam nobis dictorum factorumq; memoriam & recordationem hæ imagines revocant, & instar Academiæ domesticæ corpus repræsentant. Terminos etiã humanæ vitæ à longissima illa primorum patrum ætate, ad breviora intervalla vel ad summum septuaginta annorum, velut in compendium redactos, si inspicere in hac historiola velimus: unicum NONAGENARIVM cum Thalete, Sophocle, Socrate, Dione, T. Pomponio Attico & D. Hieronymo, Doctorem Langium cognatum & popularem tuum invenimus. OCTVAGENARIVM verò cum Bercellaio Galaadite Davidis amico,

amico, Pythagora, Protagora, Numa Pompilio, Stoflerum: & septem annorum excessu hunc superantes Albertum Magnum, & Ioannem Guintherium medicū. Huic SEPTVAGENARIOS *in decimo hebdomadico critico cum Davide, Solone & Ennio patre, in ætate capulari τῶν πεμπέλων Copernicum, Schonerū, Draconitem: & anni excessu superiores Cellium, Brentiū, Bullingerum, Fichardum: duûm Maiorem: trium Budæum, Bugenhagium, Gualtherum & Simonem Pistorium: quatuor Zasium: quinq; Ioan. Hartungum: sex Keisersbergium: septem Simonem Sulcerum:* SEXAGENARIOS *in mediæ senectutis limine* VETERANORVM *Marbachium, Forsterum, Oporinum & Bucerum: & superiorem his duobus annis B. Rhenanum: tribus verò in anno Aegyptiorum androda, novenario et septenario critico cōcurrente, quem κάτ' ἐξοχὴν κλιμακτῆρα vocant, quod vniversam vitæ hominis substantiam frangat,* MAGNVM *illum & insuperabilem* LVTHERVM, *victorem contra omnes Empusas Romanas, Munsterum, Ionam & Martyrem: quatuor Melanchtonem &* H. VVolfium: *quinq; Fuchsium: sex Musculum: septem Amerbachium, Cœlium Secundum Curionem: Ioan. Cratonem: octo Aventinum & Schrekenfuchsiū:* QVINQVAGENARIOS, *in propitiationis, libertatis & vacationis anno τῶν ὠμογερόντων seu* PRESBYTERORVM, *quibus in morbum prolapsis impiè Thebani lege lata, tanquam in via mortis constitutis medicinæ opem negabant, Plutarcho auctore: divinæ verò leges libertatem manendi in tabernaculis: &* QVARTA PERSARVM *curia vacationem ab itineribus, bellis & exercitibus gerendis tribuebat, cum cognitione*

Num. 8.
Xen. lib. 1. pæd.

gnitione & iudicio publicarum causarum domi iudicandarum: Zasium, Sleidanum & Vesalium: & maiorem anno Mathesium: trium verò Eoban. Hessum & Hyperium, Nicolaum Cisnerum, Ioannem Sambucum & VVesenbecium: octo Cornarium, Milichium & Eberum. QVADRAGENARIOS in auge & aequidio humanae vitae constitutos, quos semicanos μεσαιπολίους & παρακμάζοντας vocant, quibus & Plato deinceps vsq; ad finem vitae usum vini in remedium adversus senectutis grauitatem & mœstitiae oblivionem in convivijs & sacris Deorum liberiùs concedit: Xylandrum: & biennio superiorem Rudolphum Agricolam, Sebastianum Brandum: quadriennio Zuinglium bellatorem: quinquennio Savanorolam, Crucigerum, Fagium & Simlerum: Sexennio, quo Cato primum senectutis limen constituere videtur, Georgium Anhaltinum principem, & Lycosthenem: Septennio novae ac Spagiricae medicinae inventorem Theophrastum Paracelsum: Octennio Grynaeum & Modestinum Pistorium: novennio Oecolampadium, Gesnerum & Ioannem Schneidevinum. TRICENARIOS in honorum & nuptiarum anno Platonico, post enatos in quarto septenario sapientiae dentes secundum Hippocratem, & ut Augustinus nominat in praeliantium aetate: Birkheimerum & Huttenum: ut si cum his nostratibus philosophis & patribus primos patres Macrobios ante & post diluvium, vel etiam, si libet, magni illius Apollonij Philosophi curriculum conferre velimus: inter hos centenos nemo secularem annum, quo ille iuvenē, Philostrato & Marsilio auctoribus, prae se ferebat, attigerit. Adeò ars longa, vita breuis est. Qui quidem annus secularis, ut Syraci-

Dialog. 2. de legib.

Plato. 4. de leg. Hip. lib. de carn.


Tom. 4. fol. 330.


dae

Marf.lib.3. de vita cœlitus agenda Cap.8. *dæ verbis loquar, quasi gutta maris, & sicut calculus*
est arenæ: οὕτως ὀλίγα ἔτη ἐν ἡμέρᾳ αἰῶνος. Quæ brevi-
tas & fragilitas humanæ vitæ & mortalitas curriculi
nostri brevißimi Deum commovet ad longanimitatem
Syracid.18. *& patientiam, ut in homines suam effundat miseri-*
2. Pet.3. *cordiam, μὴ βουλόμενος, τινὰς ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντες*
εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι, ut. Apostolus loqtur Accedit ad
harum imaginum descriptiones picturæ illustratio &
artificium insigne, quo posteritati posthumæ superioris
seculi & ætatis homines in conspectum & ob oculos
Li. 2 rerum Italic. fol.153. *proponuntur. SAVANOROLAM ex Guicciardini*
commentarijs de rebus Italicis, apud quem vatis nomē
auctoritatemq; vitæ sanctimonia, doctrina singulari et
famæ celebritate vendicat, & animato spiritu dictio-
nis & ferventißima precatione cognoverā, icona nun-
Psalm.51. *quam videram: quemadmodum neq; Albertum Ma-*
gnum, nec Keisersbergium & alios quosdam. Quàm
argutè NETTESHEMIVS ille Deus & Momus Agrip-
pa contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insecta-
tur, carpit omnia: interim solus ipse non sine risu Phi-
losophus, Dæmon, Heros, Deus et omnia. TIGVRINVS
ille Plinius quàm amabili pietate & humanitate in fa-
cie mortua, vivit spiratq;? quid de vivente cogitandū?
quanta cum voluptate vidimus Lavingani tui antisti-
tis effigiem I. Sebastiani Pfauseri, summi Theologi &
eloquentißimi viri, D. MAXIMILIANO Imp. à sacris
concionibus & consilijs, ad cuius viri nomen & famam
illustrem, cum è concione olim Austriaci cuiusdam Do-
11. Aug. *ctoris, hospitis & advenæ, honoraria vice pro rostris*
suggesti perorantis in Academia ad Salam domum ve-
nissemus è templo: vidimus ERHARDVM HEIDE-
NECCIVM

NECCIVM VILLACENSEM *Medicum, qui et nunc medicinam exercet cum laude, à concione tum absentem, & Galeno & Hippocrati supra religionem & sacra addictum affixumq;, quem Musæi laboribus & librorum pulpitis ne quidem Hercules ipse avellere potuisset: cùm de industria Cæsareum hunc sacerdotem, quem ille summè venerabatur, perorasse diceremus: iucundissimo spectaculo hominem velut œstro sacro percitum, sumto pallio foras procurrere; relictis non sine admiratione nobis omnibus cum Galeno & Hippocrate. In tanta auctoritate & veneratione erat illi huius* Doctoris *constantissimi simul & fidelissimi, & optimi viri nomen & memoria, cum incredibili videndi desiderio. De* XYLANDRO *quid dicam? cuius faciem agnoscimus. Sed hîc quantum pictura à natura vivoq; genio distet, quis non novit? cùm præter insignem & raram eruditionem, & immensam operam, cùm publicarum lectionum, tùm versionum eruditissimarum, Strabonis, Cedreni, Stephani, Plutarchi, Dionis & aliorum, & lepidissimus & iucundissimus esset. In* SIMLERO *corporis constitutio morbida & dolorum vis ex vultu deprehenditur, quemadmodum valetudinaria facies in Lycosthene: in quorum altero lumbaginem meam, in altero corporis dispositionem imbecillem robusta satis membrorum figura agnosco. In* CRATONE *facies heroica: in* SAMBVCO *ætas floridæ similis: in* SCHNEIDEVINO *magnificentia deprehenditur: cuius icon in imaginibus doctorum, ære incisis, quæ circumferuntur sine descriptionibus & auctore, ad* SCHNEIDEVINORVM *lineamenta*

& familiam congruens; neo quidem iudicio speciosior expressa videtur. Sed cur asymboli & muti sunt CL. *Ptolomæus, I. Vandernotus, G. Gratorolus, Gilbertus Lymburgius, Matthias* FL. IL. *Berchtoldus Hallerus, & Hunnorum comes P. Schalichius: cùm & nota tibi constent omnia? nisi forte hos non tuis, sed aliorum loqui velis encomijs. Quæso, magnifice* REVSNERE, *fruamur unà cum* IOVII, PHILIPPI GALLAEI *& aliorum androzographia, reliquis tuis doctissimis bonorum hominum elogijs vnà cum imaginibus vivis Valerij Cordi, Euricij poëtæ filij, si haberi possit, Sabini, Lotichij, Stigelij, Fabricij, Erythræi, Freigij, Zvvingeri & aliorum præstantium, & de re literaria bene meritorum: ex quibus proficere una hora plus poterimus, quàm si diem forsan in commentarijs transigamus. Vale, & vive felicissimè, & gratitudinis loco pro anagrammate strenam hanc literariam à Musis nostris suscipe. E Phœbi domo secessus mei.* 1588.






LIBRARIVS LECTORI S.

EN accipe, Benigne Lector, Centuriam unam Iconum & Elogiorum, aliquot demortuorum clarorum virorum, qui literis & ingenij monimentis illustres, Germaniæ præsertim nostræ inclaruerunt: quibus etiam intermixtos videbis nonnullos sectarum invidioso studio celebres: in quibus omnibus maximè fuit nobis propositum: ne vel calumniosè, vel contumeliosè in quenquam dictum aliquid apponeretur; ex quo vlli mortalium aliqua inde crearetur offensio. Neque enim de religionis potissimùm controversijs intempestiuè iudicium ferre, huius loci aut temporis esse puta vi; de his iudicent alij, ad quos ea res pertinet. Speramus autem vel planè potiùs confidimus operam hanc nostram omnibus bonis & literarum amantibus non displicituram: & quia præter mortuorum Icones aliquot, adhuc domi magnam habemus copiam multorum præclarorum hominum, qui in vivis sunt, effigies: quas proximâ æstate in lucem, Deo volente, edituri sumus: equidem futurum arbitramur vt multi, quibus hic noster labor proba-

bitur, miſſis alijs quoque ſaltem eorum veris imaginibus, quos hanc laudem mereri exiſtimaverint, conatum hunc qualemcunque noſtrum adiuvare & promovere non graventur. Vale optime Lector, & fruere.



INDEX VIRORVM LITERIS ILLVSTRIVM, QVORVM Icones in hoc opere visuntur.

INDEX EORVM, QVORVM EPIGRAMMATA HOC IN OPERE ſparſim leguntur.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

FINIS.